


Plinius Secundus, Gaius


Historia naturalis Caii Plinii Secundi historiae naturalis libri XXXVII


Parisiis 1779

A.lat.b. 1429-5

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10246002-9







A. cont. b. 1429-5

[Faint, illegible handwritten text]

5

C. PLINII
S. SECUNDI
HISTORIA NATURALIS
TOMUS V.

<36617820400013



<36617820400013

Bayer. Staatsbibliothek

A. lat. b. 1429-5

5

CAII PLINII
SECUNDI
HISTORIA NATURALIS.
TOMUS V.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

MDCCLXXII

C. PLINII

SECUNDI

HISTORIA NATURALIS

TOMUS IV

Bayerische
Staatsbibliothek
München

C A I I P L I N I I I

S E C U N D I

H I S T O R I Æ N A T U R A L I S

L I B R I X X X V I I .

Quos recensuit & Notis illustravit

G A B R I E L B R O T I E R .

T O M U S V .



P A R I S I I S .

Typis J. BARBOU, viâ Mathurinensium,

M D C C L X X I X .

CALY PLENY

BIBLIOTHECA
HISTORICAE
MONACENSIS

Quos recepit & non elapsit

CAROLUS MARCUS

1700



PARIS

Typis J. Barbou, vis Ambrunensis

MDCCLXXIX



C. PLINII SECUNDI
NATURALIS
HISTORIÆ
LIBER XXVI.

Medicinæ ex herbis per genera morborum.

I. I. **S**ENSIT & facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modò, verùm etiam universæ propè Europæ, morbos: tunc quoque non totâ Italiâ, nec per Illyricum Galliasve aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi, quàm Romæ, circâque: sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ, sed tantâ foeditate, ut quæcumque mors præferenda esset.

II. Gravissimum ex his lichenas appellavere Græco nomine: Latinè, quoniam a mento fere oriebatur, joculari primùm lasciviâ, (ut est procax natura multorum

in alienis miseriis,) mox & usurpato vocabulo, mentagram : occupantem in multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus, descendentem verò & in colla pectusque ac manus, foedo cutis furfure.

III. Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primùm Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino equite Romano, quæstorio scribâ, cùm in Asiâ apparuisset, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum feminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media : sed proceres veloci transitu osculi maximè : foediore multorum, qui perpeti medicinam toleraverant, cicatrice, quàm morbo. Causticis namque curabatur : ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. Adveneruntque ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc solam operam adferentes, magnâ suâ prædâ. Siquidem certum est, Manilium Cornutum e prætoriiis legatum Aquitanicæ provinciæ, H. S. CC. elocasse in eo morbo curandum sese. Acciditque sæpius, ut nova contrà genera morborum gregatim sentirentur. Quo mirabilius quid potest reperiri ? aliqua gigni repentè vitia terrarum in parte certâ, membrisque hominum certis, vel ætatibus, aut etiam fortunis, tamquam malo eligente, hæc in pueris graf-

fari, illa in adultis : hæc proceres sentire ,
illa pauperes.

IV. L. Paullo , Q. Marcio censoribus ,
primùm in Italiam carbunculum venisse ,
Annalibus conscriptum est , peculiare Nar-
bonensis provinciæ malum : quo duo con-
sulares obiere condentibus hæc nobis eo-
dem anno , Julius Rufus , & Q. Lecanius
Bassus , ille medicorum inscientiâ sectus :
hic verò pollicis lævæ manûs evulso acu
ab semetipso , tam parvo vulnere , ut vix
cerni posset. Nascitur in occultissimis cor-
porum partibus , & plerumque sub linguâ ,
duritia rubens vari modo , sed nigricans ca-
pite : aliàs livida , corpus intendens , ne-
que intumescens , sine dolore , sine pru-
ritu , sine alio quàm somni indicio , quo
gravatos in triduo aufert : aliquando & hor-
rorem adferens , circâque pufulas parvas ,
rariùs febrem : stomachum faucesque cùm
invasit , ocissimè exanimans.

V. Diximus elephantiasin ante Pompeii
Magni ætatem non accidisse in Italiâ , &
ipsam a facie sæpius incipientem in nare
primâ veluti lenticulâ : mox inarescente per
totum corpus , maculosâ , variis coloribus ,
& inæquali cute , alibi crassâ , alibi tenui ,
durâ alibi , ceu scabie asperâ : ad postre-
mum verò nigrescente , & ad ossa car-
nes adprimente , intumescantibus digitis in
pedibus manibusque. Ægypti peculiare hoc

malum: & cum in reges incidisset, populis funebre. Quippe in balineis folia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Et hic quidem morbus celeriter in Italiâ restinctus est: sicut & ille, quem gemursam appellavere prisca, inter digitos pedum nascentem, etiam nomine oblitterato.

VI. Id ipsum mirabile, alios desinere in nobis, alios durare, sicuti colum. Tiberii Cæsaris principatu irrepsit id malum. Nec quisquam id prior imperatore ipso sensit, magnâ civitatis ambage, cum edito ejus excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum. Quid hoc esse dicamus, aut quas deorum iras? Parum enim erant homini certa morborum genera, cum supra CCC. essent, nisi etiam nova timerentur? Neque ipsi autem homines pauciora sibi operâ suâ negotia important.

2. Hæc apud prisca erant, quæ memoramus, remedia, medicinam ipsâ quodammodo rerum naturâ faciente, & diu fuere. Hippocratis certè, qui primus medendi præcepta clarissimè condidit, referta herbarum mentione invenimus volumina: nec minùs Dioclis Carystii, qui secundus ætate famâque exstitit: item Praxagoræ, & Chrysippi, ac deinde Erasistrati: Herophilo quidem, quamquam subtilioris sectæ conditori, ante omnes celebratam ratio-

nem eam, paulatim usu efficacissimo rerum omnium magistro, peculiariter utique medicinæ, ad verba garrulitatemque defendente. Sedere namque in his scholis auditioni operatos gratius erat, quàm ire per solitudines, & quærere herbas alias aliis diebus anni.

VII. 3. Durabat tamen antiquitas firma, magnasque confessæ rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades ætate Magni Pompeii orandi magister, nec fatis in arte eâ quæstuosus, ut ad alia, quàm forum, sagacis ingenii, huc se repente convertit: atque (ut necesse erat, homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset, oculis usuque percipienda) torrenti ac meditatâ quotidie oratione blandiens omnia abdicavit; totamque medicinam ad causam revocando, conjecturæ fecit: quinque res maximè communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, aliàs vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes: quæ cum unusquisque semetipsum sibi præstare posse intelligeret, faventibus cunctis, ut essent vera quæ facillima erant, universum propè humanum genus circumegit in se, non alio modo, quàm si cælo emissus advenisset.

VIII. Trahebat præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandoque tempestivè, tum frigidam aquam.

6 C. PLINII NATUR.

Et quoniam causas morborum scrutari prior Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipse cognominari se frigidam danda præferens, ut auctor est M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, jam suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos adliceret: jam balneas avidissimam hominum cupidine instituendo, & alia multa dictu grata atque jucunda: magnam auctoritate: nec minore famam, cum occurrisset ignoto funeri relato homine ab rogo atque servato, ne quis levibus momentis tantam conversionem factam existimet. Id solum possumus indignari, unum hominem e levissimam gente, sine opibus ullis orsum, vectigalis sui causam, repente leges salutis humano generi dedisse, quas tamen postea abrogavere multi. Asclepiadem adjuvare multa, in antiquorum curam nimis anxiam & rudiam, ut obruendi ægros veste, sudoresque omnimodo ciendi: nunc corpora ad ignes torrendi, Soleve adsiduò quærendi, in urbe nimiosam, immo verò totam Italiam imperatrice: tum primum pensili balnearum usu ad infinitum blandientem. Præterea in quibusdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis, quas curabant in fauces organo demisso. Damnavit meritò & vomitiones, tunc supra modum frequen-

tes. Arguit & medicamentorum potus stomacho inimicos, quod est magnâ ex parte vetitum. Itaque nos in primis quæ sunt stomacho utilia signamus.

IX. 4. Super omnia adjuvare eum magicae vanitates, in tantum evectæ, ut abrogare herbis fidem cunctis possent. Æthiopide herbâ amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri. Achæmenide conjectâ in aciem hostium trepidare agmina, ac terga vertere. Latacendari solitam a Persarum rege legatis, ut quocumque venissent, omnium rerum copiâ abundarent, ac multa similia. Ubinam istæ fuere, cùm Cimbri Teutonique terribili Marte ulularent, aut cùm Lucullus tot reges magorum paucis legionibus sterneret? Curve Romani duces primam semper in bellis commerciorum habuere curam? Cur Cæsaris miles ad Pharsaliam famem sensit, si abundantia omnis contingere unius herbæ felicitate poterat? Non fatius fuit Æmilianum Scipionem Carthagini portas herbâ patefacere, quàm machinis claustra per tot annos quaterere? Siccentur hodie Meroide Pomptinæ paludes, tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ. Nam quæ apud eundem Democritum invenitur compositio medicamenti, quo pulcri bonique & fortunati gignantur liberi, cui unquam Persarum regi tales de-

8 *C. PLINII NATUR.*

dit? Mirum esset profectò, hucusque pro-
 vectam credulitatem antiquorum, saluber-
 rimis ortam initiis: si in ullâ re modum
 humana ingenia novissent, atque non hanc
 ipsam medicinam ab Asclepiade repertam,
 suo loco probaturi essemus evectam ul-
 tra magos etiam. Sed hæc est omni in re
 animorum conditio, ut a necessariis orsa
 primò, cuncta pervenerint ad nimium.
 Igitur demonstratarum priore libro her-
 barum reliquos effectus reddemus: adji-
 ciemus, ut quasque ratio dictaverit.

X. Sed in lichenis remediis, atque tam
 foedo malo, plura undique acervabimus,
 quamquam non paucis jam demonstratis.
 Medetur ergo plantago trita, quinquefo-
 lium, radix albuci ex aceto, ficulni cau-
 les aceto decocti, hibisci radix cum glu-
 tino & aceto acri decocta ad quartas. De-
 fricantur etiam pumice, ut rumicis radix
 trita ex aceto illinatur, & flos visci cum
 calce subactus. Laudatur & tithymali cum
 resinâ decoctum. Lichen verò herba om-
 nibus his præfertur, inde nomine inven-
 to. Nascitur in saxosis, folio uno ad ra-
 dicem lato, caule uno parvo, longis fo-
 liis dependentibus. Hæc delet & stigma-
 ta. Teritur cum melle. Est aliud genus li-
 chenis, petris totum inhærens, ut mus-
 cus, qui & ipse illinitur. Hic & sangui-
 nem sistit vulneribus instillatus, & colle-

Etiones illitus. Morbum quoque regium cum melle fanat ore illito, & linguâ. Qui ita curantur, falsâ lavari jubentur, ungi oleo amygdalino, hortensiis abstinere. Ad lichenas & thapsiæ radice utuntur tritâ cum melle.

XI. Anginæ argemonia medetur sumpta ex vino: hyssopum cum vino decoctum & gargarizatum: peucedanum cum coagulo vituli marini æquis partibus. Proserpinaca cum muriâ ex mænis & oleo trita, vel sub linguâ habita. Item succus de quinquefolio, potus cyathis tribus. Hic & omnibus faucium vitiis medetur gargarizatus: verbascum privatim tonsillis in aquâ potum.

XII. 5. Strumis plantago: chelidonia cum melle & axungiâ: quinquefolium: radix perfolatæ, item cum axungiâ, operitur folio suo imposita. Item artemisia: radix mandragoræ ex aquâ. Sideritis latifolia, clavo sinistrâ manu circumfossa adaligatur, custodienda sanatis, ne rursus facta diro herbariorum scelere (ut in quibusdam) rebellet: quod in his, quos artemisia sanaverit, prædici reperio: item in his, quos plantago. Damasonion, quæ & alcea vocatur, sub solstitio collecta, imponitur ex aquâ cælesti, folium tritum, vel radix cum axungiâ tusa, ita ut imposita folio suo operiatur. Sic & ad omnes

cervicis dolores, tumoresque quacumque in parte.

XIII. Bellis in pratis nascitur, flore albo, aliquatenus rubente. Hanc cum artemisiâ illitam, efficaciorē esse produnt.

XIV. Condurdum herba solstitialis, flore rubro, suspensa in collo, comprimere dicitur strumas. Item verbenaca, cum plantagine. Digitorum vitiis omnibus, & privatim pterygiis, quinquefolium medetur.

XV. In pectoris vitiis vel gravissimum est tussis: huic medetur panacis radix in vino dulci. Succus hyoscyami etiam sanguinem exscreantibus: nidor quoque accensi tussientibus. Item scordotis mixto nasturtio, & resinâ, cum melle tusa arida. Facit & per se faciles exscreationes. Item centaurium majus, vel sanguinem rejicientibus: cui vitio & plantaginis succus medetur. Et Vettonica obolis tribus in aquâ, contra purulentas, contraque cruentas exscreationes. Persolatae radix drachmæ pondere, cum pineis nucleis undecim. Peucedani succus, pectoris doloribus, & acorum subvenit, & ideo antidotis miscetur. Tussi daucum: item Scythica herba. Ea demum omnibus pectoris vitiis, tussi, & purulenta exscreantibus, obolis tribus in passo.

6. Totidem verbascum, cujus est flos aureus. Tanta huic vis est, ut jumentis

etiam non tussientibus modò, sed illa quoque trahentibus, auxilietur potu: quod & de Gentianâ reperio. Radix cacaliæ com-manducata, & in vino madefacta, non tussi tantùm, sed & faucibus prodest. Hyssopi quinque rami cum duobus rutæ & ficis tribus decocti thoracem purgant.

XVI. Tussim sedat bechion, quæ & tussilago dicitur. Duo ejus genera. Silvestris ubi nascitur, subesse aquas credunt: & hoc habent signum aquileges. Folia sunt majuscula, quàm ederæ, quinque aut septem, subalbida a terrâ, supernè pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Quidam eamdem esse bechion & alio nomine chamæleucen putant. Hujus aridæ cum radice fumus per arundinem haustus & devoratus, veterem fanare dicitur tussim: sed in singulos haustus passum gustandum est.

XVII. Altera a quibusdam salvia appellatur, similis verbasco: conteritur ea & colata calefit, atque ita ad tussim laterisque dolores bibitur: contra scorpiones eadem & dracones marinos efficax. Contra serpentes quoque ex oleo perungi ea prodest. Hyssopi fasciculus cum quadrante mellis decoquitur ad tussim.

XVIII. 7. Lateris & pectoris doloribus verbascum cum rutâ ex aquâ: Vettonicæ farina bibitur ex aquâ calidâ.

Stomachum corroborat scordotis succus: centaurium, Gentiana ex aquâ potæ. Plantago aut per se sumpta in cibo, aut cum lente, alicæve sorbitione. Vettonica aliàs gravis stomacho, vitia tamen sanat pota, vel foliis commanducata. Item aristolochia pota: agaricum manducatum siccum, ut ex intervallo merum sorbeatur: nymphæa heraclia illita: peucedani succus. Psyllion ardoribus imponitur: vel cotyledon trita polentâ, vel aizoum.

XIX. Molon scapo est striato, foliis molibus, parvis, radice IV. digitorum, in quâ extremâ allii caput est. Vocatur a quibusdam syron. Ex vino stomacho, & dyspnœæ medetur: centaurium majus ecligmate: plantago succo vel cibo: Vettonicæ tusæ pondò libra, mellis Attici semuncia, ex aquâ calidâ quotidie bibentibus. Aristolochia, vel agaricon, obolis ternis ex aquâ calidâ, aut lacte asini pota. Cissanthemos ad orthopnœas bibitur: item hyssopum & asthmaticis. Peucedani succus in jocineris doloribus, & pectoris laterisque, si febres non sint. Sanguinem quoque exspuentibus subvenit agaricum, Victoriati pondere tritum, & in mulsi quinque cyathis datum. Idem & amomon facit.

Jocineri privatim Teucra bibitur recens, drachmis IV. in poscæ heminâ: Vettonicæ

drachma una in aquâ calidâ cyathis tribus : ad cordis vitia, in frigidâ cyathis duobus. Quinquefolii succus jocineris, & pulmonis vitiis, sanguinemque rejicientibus, & cuicumque sanguinis vitio intus occurrit. Jocineri anagallides mirè profunt. Capnon herbam qui edere, bilem per urinam reddunt. Acoron jocineri medetur, thoraci quoque, & præcordiis.

XX. Ephedra, ab aliis anabasis vocata, nascitur ventoso fere tractu, scandens arborem & ex ramis propendens, folio nullo, cirris numerosa, qui sunt junci geniculati, radice pallidâ. Datur ex vino nigro austero trita ad tussim, suspiria, tormina, & sorbitione factâ, in quam vinum addi convenit. Item Gentiana madefacta pridie contrita denarii pondere in vini cyathis tribus.

XXI. Geum radículas tenues habet, nigras, bene olentes. Medetur non modò pectoris doloribus, aut lateris, sed & cruditates discutit, jucundo sapore. Verbena-
ca verò omnibus visceribus medetur, lateribus, pulmonibus, jocineribus, thoraci. Peculiariter autem pulmonibus, & quos ab his phthisis tentat, radix herbæ consiliginis, quam nuper inventam diximus : suum quidem & pecoris omnis remedium præsens est pulmonum vitio, vel trajecta tantùm in auriculâ. Bibi debet ex aquâ,

haberique in ore adsiduè sub linguâ. Superficies ejus herbæ an sit in aliquo usu, adhuc incertum est. Renibus prodest plantaginis cibus, Vettonicæ potus, agaricum potum, ut in tussi.

XXII. Tripolium in maritimis nascitur faxis, ubi adludit unda, neque in mari, neque in sicco, folio isatis crassiore, palmo alto, in mucrone diviso, radice albâ odoratâ, crassâ, calidi gustûs. Datur hepaticis in farre decocta. Hæc herba eadem videtur quibusdam, quæ polium, de quâ suo loco diximus.

XXIII. Gromphæna, alternis viridibus roseisque per caulem foliis, in poscâ sanguinem rejicientibus medetur.

XXIV. Jocineri autem herba malundrum, nascens in segete ac pratis, flore albo odorata. Ejus cauliculus conteritur ex vino vetere.

XXV. Item herba chalacetum e vineis contrita imponitur. Faciles præstat vomitiones radix Vettonicæ, ellebori modo, iv. drachmis in passo aut mulso. Hyssopum tritum cum melle utilius, præsumpto nasturtio aut irione:

Molemonium denarii pondere. Est & silybo lacteus succus, qui densatus in gummi, sumitur cum melle suprâ dicto pondere: præcipuèque bilem trahit. Rursus sistunt vomitionem cuminum silvestre, Vet-

tonicæ farina : sumuntur ex aquâ. Abster-
gunt fastidia , cruditatesque digerunt, dau-
cum , Vettonicæ farina ex aquâ mulsâ,
plantago decocta caulium modo. Singultus
hemionium sedat : item aristolochia. Suspi-
ria clymenos. Pleuriticis & peripneumoni-
cis centaurium majus : item hyssopum bi-
bitur. Pleuriticis peucedani succus.

XXVI. Halus autem , quam Galli sic
vocant , Veneti cotoneam , medetur lateri :
item renibus , convulsisque & ruptis. Simi-
lis est canilæ bubulæ , cacuminibus thy-
mo , dulcis , & sitim sedans , radicis ali-
bi albæ , alibi nigræ.

XXVII. Eosdem effectus in lateris do-
loribus habet chamærops , myrteis circa
caulem geminis foliis , capitibus Græculæ
rosæ , ex vino pota. Ischiadicos dolores
& spinæ levat agaricum potum , ut in tussi.
Item stœchadis , aut Vettonicæ farina ex
aquâ mulsâ.

XXVIII. 8. Plurimum tamen hominî
negotii alvus exhibet , cujus causâ major
pars mortalium vivit. Aliàs enim cibos
non transmittit , aliàs non continet , aliàs
non capit , aliàs non conficit. Eoque mo-
res venêre , ut homo maximè cibo pereat.
Pessimum corporum vas instat , ut credi-
tor , & sæpius die appellat. Hujus gratiâ
præcipuè avaritia expetit : huic luxuria con-
ditur : huic navigatur ad Phasin : huic pro-

fundi vada exquiruntur. Et nemo vilitatem ejus æstimat, consummationis fœditate. Ergo numerosissima est circa hanc medicinæ opera.

Sistit eam scordotis recens, drachmâ cum vino trita, vel decocta potu. Polemonia quoque & dysentericis ex vino datur: verbasci radix pota ex aquâ duorum digitorum magnitudine: nymphææ heracliaæ semen cum vino potum: radix superior e xiphio, drachmæ pondere ex aceto. Semen plantaginis in vino tritum, vel ipsa ex aceto cocta, aut alica ex succo ejus sumpta. Item cum lenticulâ cocta, vel aridæ farina inspersa potioni cum papavere tosto & trito, vel succus infusus, aut succus Vettonicæ, in vino ferro calefacto. Eadem cœliacis in vino austero datur: his & iberis imponitur, ut dictum est. Tenesmo radix nymphææ heracliaæ e vino bibitur: psyllium in aquâ: acori radicis decoctum. Aizoi succus alvum sistit, & dysenterias, & tineas rotundas pellit. Symphyti radix dysenterias sistit: item dauci. Aizoum foliis contritis ex vino torminibus resistit. Alceæ siccæ farina torminibus pota cum vino.

XXIX. Astragalus folia habet longa incisuris multis, obliqua circa radices, caules tres aut quatuor foliorum plenos, florem hyacinthi, radices villosas, implica-

tas, rubras, præduras. Nascitur in petrosis, apricis, & iisdem nivalibus, sicut Phe-
neo Arcadiæ. Vis ei ad spissanda corpora.
Alvum sistit radix in vino pota: quo fit
ut moveat urinam repercusso liquore, si-
cut pleraque quæ alvum sistunt. Sanat &
dysentericos in vino rubro tusa. Diffici-
lè autem tunditur. Eadem gingivarum sup-
purationi utilissima est fotu. Colligitur exitu
autumni, cum folia amisit: siccatur in
umbrâ.

XXX. Et ladano sistitur alvus utroque:
quod in fegetibus nascitur, contuso & cri-
brato: bibitur ex aquâ mulsâ: item nobi-
li e vino. Ledon appellatur herba, ex quâ
ladanum fit in Cypro, barbibus caprarum ad-
hærescens. Nobilius in Arabiâ. Fit jam &
in Syriâ atque Africâ, quod toxicon vo-
cant. Nervos enim in arcu circumdatos
lanis trahunt, adhærescente roscidâ lanu-
gine. Plura de eo diximus inter unguen-
ta. Hoc gravissimum odore est, durissi-
mumque tactu. Plurimum enim terræ col-
ligit: cum probetur maximè purum, odo-
ratum, molle, viride, resinofum. Natura
ei molliendi, siccandi, concoquendi, som-
num alliciendi. Capillum fluentem cohi-
bet, nigritiamque custodit. Auribus cum
hydromelite aut rosaceo infunditur. Fur-
fures cutis & manantia ulcera sale addi-
to sanat. Tussim veterem cum styrace

sumptum. Efficacissimum ad ructus.

XXXI. Alvum sistit & chondris, sive pseudodictamnium.

Hypocisthis, orobethron quibusdam dicta, malo granato immaturo similis. Nascitur, ut diximus, sub cistho, unde nomen. Hæc arefacta in umbrâ sistit alvum ex vino austero nigroque utraque. Duo enim genera ejus, candida & rufa. Usus in succo: spissat, siccatur. Et rufa magis stomachi rheumatismos emendat. Pota tribus obolis, sanguinis exscreationes, cum amylo. Dysenterias pota, & infusa. Item verbenaca ex aquâ data, aut carentibus febre ex vino amineo cochlearibus quinque additis in cyathos tres vini.

XXXII. Laver quoque nascens in rivis condita & cocta torminibus medetur.

XXXIII. Potamogeton verò ex vino dysentericis etiam & cœliacis, similis betæ foliis: minoribus tantum hirsutioribusque, paulum supereminens extra aquam. Usus in foliis: refrigerant, spissant: peculiariter cruribus vitiosis utilia, & contra ulcerum nomas, cum melle vel aceto. Castor hanc aliter noverat, tenui folio velut equinis fetis, thyrso longo & lævi, in aquosis nascentem. Radice sanabat strumas & duritias. Potamogeton adversatur & crocodi-
lis: itaque secum habent eam, qui venantur. Alvum sistit & Achillea.

Eosdem effectus præstat & statice septem caulibus veluti rosæ capita sustinens.

XXXIV. Ceratia uno folio, radice nodosâ magnâ, in cibo cœliacis & dysentericis medetur.

Leontopodion, alii leuceoron, alii doripetron, alii thorybetron vocant, cujus radix alvum sistit, purgatque bilem, in aquam mulsam addito pondere denariorum duorum. Nascitur in campestri & gracili solo. Semen ejus potum, lymphatica somnia facere dicitur.

Lagopus sistit alvum e vino pota, aut in feбри ex aquâ. Eadem inguini adalligatur in tumore. Nascitur in segetibus. Multi super omnia laudant ad deploratos dysentericos quinquefolium, decoctis in lacte radicibus potis: & aristolochiam Victoriati pondere in cyathis vini tribus. Quæ ex supradictis calida sumentur, hæc candente ferro temperari aptius erit.

E diverso purgat alvum succus centaurei minoris drachmâ in heminâ aquæ cum exiguo salis & aceti, bilemque detrahit. Majore tormina discutuntur. Vettonica alvum solvit drachmis quatuor, in hydromelitis cyathis novem. Item euphorbium, vel agaricum, drachmis duabus cum sale modico potum ex aquâ, aut in mulsâ obolis tribus. Solvit & cyclaminos ex aquâ pota, aut balanis subditis: item chamæ-

cissi balanus. Hyssopi manipulus decoctus ad tertias cum sale, pituitas trahit illitus, vel contritus cum oxymelite & sale: pel- litque ventris animalia. Pituitam & bilem detrahit peucedani radix.

XXXV. Alvum purgat anagallis ex aquâ mulsâ: item epithymon, qui est flos e thymo, fatureiæ simili. Differentia, quòd hic herbaceus est, alterius thymi albus: quidam hippopheon vocant: stomacho mi- nùs utilis, vomitiones minùs movet: sed tormina & inflationes discutit. Sumitur & ecligmate ad pectoris vitia cum melle, & aliquando iride. Alvum solvit, a quatuor drachmis ad sex cum mellis exiguo salif- que & aceti. Quidam aliter epithymum tradunt sine radice nasci, tenue, similitu- dine pallioli, rubens: siccari in umbrâ, bibi ex aquâ acetabuli parte dimidiâ, de- trahere pituitam bilemque. Alvum leniter solvit & nymphæa in vino austero.

XXXVI. Solvit & pycnocomon, eru- cæ foliis crassioribus, & acrioribus, radi- ce rotundâ, lutei coloris, terram olente, caule quadrangulo, modico, tenui, flore ocimi. Invenitur in saxosis locis. Radix ejus in aquâ mulsâ denariorum duum ponde- re, & alvum, & bilem, & pituitam exi- nanit. Semen somnia tumultuosa facit, unâ drachmâ in vino potum. Et panos dis- cutit.

XXXVII. Detrahit bilem polypodion, quam nostri filiculam vocant: similis enim est filici. Radix in usu, pilosa, coloris intus herbacei, crassitudine digiti minimi, acetabulis cavernosa, ceu polyporum cirrhi, subdulcis, in petris nascens, aut sub arboribus vetustis. Exprimitur succus aquâ madefactâ: ipsa minutè concisa inspergitur oleri, vel betæ, vel malvæ, vel sal-famento: aut cum pulticulâ coquitur ad alvum vel in feбри leniter solvendam. Detrahit bilem & pituitam, stomachum offendit. Aridæ farina indita naribus polypum consumit. Florem & semen non fert.

XXXVIII. Scammonium quoque dissolutionem stomachi facit, bilem detrahit, alvum solvit, præterquam si adjiciantur aloes drachmæ duæ obolis ejus duobus. Est autem succus herbæ ab radice ramosæ pinguibus foliis, triangulis, albis, radice crassâ, madidâ, nauseosâ. Nascitur pingui & albo solo. Radix circa Canis ortum excavatur, ut in ipsam confluat succus: qui Sole siccatus, digeritur in pastillos. Siccatur & ipsa, vel cortex. Laudatur natione Colophonium, Mysium, Priense: specie autem nitidum, & quàm simillimum taurino glutini, fungosum tenuissimis fistulis, citò liquefcens, virus redolens, gumminosum, linguæ tactu lactescens, quàm levissimum, cum diluitur al-

bescens. Hoc evenit & adulterino, quod fit ervi farinâ, & tithymali marini succo, in Judæâ fere: quod etiam strangulat sumptum. Deprehenditur gustu: Tithymalus enim linguam excafcit. Usus bimo: nec antè, nec postea utili. Dedêre & per se ex aquâ mulsâ & sale quaternis obolis. Sed utilissimè cum aloe, ita ut incipiente purgatione mulsam bibatur. Fit & decoctum radicis in aceto ad crassitudinem mellis, quo lepræ illinuntur, & caput ungitur in dolore cum oleo.

XXXIX. Tithymalum nostri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam: narrantque lacte ejus inscripto corpore, cum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere literas, & ita quidam adulteras adloqui maluere quàm codicillis. Genera ejus multa. Primus cognominatur characias, qui & masculus existimatur, ramis digitali crassitudine, rubris, succosis, quinque aut sex, cubitali longitudine: a radice foliis pæne oleæ, in cacuminibus comâ junci. Nasctur in asperis maritimis. Legitur semen autumnò, cum comâ: siccatum Sole tunditur, & reponitur. Succus verò incipiente pomorum lanugine, defractis ramulis, excipitur farinâ ervi, aut ficis, ut cum iis arefcat. Quinas autem guttas singulis excipi fatis est. Traduntque etiam toties purgari hydropicos fico sumptâ quot guttas

lactis exceperit. Succus cum colligitur, ne attingat oculos cavendum est. Fit & e foliis tuis priore minus efficax. Fit & decoctum e ramis. Est semen in usu cum melle decoctum ad catapotia solvendæ alvi gratiâ. Semen & dentium cavis cerâ includitur. Colluuntur & radices decocto e vino aut oleo. Illinunt & lichenas succo: bibuntque eum, ut purgent vomitione & alvo solutâ, aliàs stomacho inutilem. Trahit pituitam sale adjecto in potu, bilem aphronitro. Si per alvum purgari libeat, in poscâ: si vomitione, in passo aut aquâ mulsâ. Media potio tribus obolis datur. Ficos a cibo sumpsisse melius est. Fauces urit leniter: est enim tam ferventis naturæ, ut per se extrâ corpori impositum, pusulas ignium modo faciat, & pro caustico in usu sit.

XL. Alterum genus tithymali myrsiniten vocant: alii caryiten: foliis myrti acutis & pungentibus, sed mollioribus: & ipsum in asperis nascens. Colliguntur comæ ejus hordeo turgescente, siccataeque in umbrâ diebus novem in Sole inarescunt. Fructus non pariter maturescit, sed pars anno sequente, & nux vocatur. Inde cognomen Græci dedere. Demetitur cum messium maturitate, lavaturque, dein siccat, & datur cum papaveris nigri duabus partibus, ita ut sit totum acetabuli mo-

du: minùs hic vomitionibus, quàm superior, ceteri item. Aliqui sic & folium ejus dedêre, nucem verò ipsam in mulso, aut passo, vel cum sesamâ. Trahit bilem & pituitam per alvum. Oris ulcera fanat. Ad nomas oris folium cum melle estur.

XLJ. Tertium genus tithymali paraliu[m] vocatur, sive tithymalis folio rotundo, caule palmum alto, ramis rubentibus, femine albo, quod colligitur incipiente uvâ, & siccatum teritur, sumiturque acetabuli mensurâ ad purgationes.

XLII. Quartum genus helioscopion appellant, foliis porcilacæ, ramulis stantibus a radice quatuor aut quinque, rubentibus, semipedali altitudine, succi plenis. Hoc circa oppida nascitur, femine albo, columbis gratissimo. Nomen accipit, quoniam capita cum Sole circumagit. Trahit bilem per inferna in oxymelite dimidio acetabulo: ceteri usus, qui characiæ.

XLIII. Quintum cyparissian vocant, propter foliorum similitudinem, caule gemino aut triplici nascentem in campestribus: cui eadem vis, quæ helioscopio aut characiæ.

XLIV. Sextum platyphyllon vocant: alii corymbiten, alii amygdaliten a similitudine. Nec ullius latiora sunt folia. Pisces necat, alvum solvit, radice, vel foliis, vel succo in mulso, aut aquâ mul-
sâ

sâ drachmis quatuor. Detrahit privatim
aquas.

XLV. Septimum dendroiden cognomi-
nant, alii cobion, alii leptophyllon, in pe-
tris nascens, comosissimum ex omnibus
maximè, cauliculis rubentibus, & semi-
ne copiosissimum: ejusdem effectûs, cujus
characias.

XLVI. Apios ischas, sive raphanos agria,
juncos duos, sive tres spargit in terrâ ru-
bentes, foliis rutæ: radix cepæ, sed am-
plior: quare quidam raphanum silvestrem
vocant. Intus habet mammam candidam,
extrâ cortices nigros. Nascitur in mon-
tuosis asperis, aliquando & herbosis. Effo-
ditur vere, tusaque in fictili mergitur, de-
jectoque quod supernatat, reliquus succus
purgat utrâque parte, sesquiobolo in aquâ
mulsâ. Sic & hydropicis datur acetabuli
mensurâ. Inspergitur & aridæ radicis fari-
na potioni, aiuntque superiorem partem
ejus vomitione biles extrahere: inferio-
rem, per alvum, aquas.

XLVII. Tormina discutit quodcumque
panaces, & Vettonica, præterquam a cru-
ditate: peucedani succus & inflationes, ru-
ctus gignens: item acori radix, daucum-
ve, si lactucæ modo sumatur. Ladanum
Cyprium potum interaneorum vitiis oc-
currit: item Gentianæ farina, ex aquâ te-
pidâ fabæ magnitudine. Plantago mane

sumpta duabus lingulis, & tertia papaveris in vini cyathis quatuor non veteris. Datur & in somnum euntibus, addito nitro vel polentâ, si multò post cibum detur. Colo infunditur hemina succi, vel in febrî.

XLVIII. Agaricum potum obolis tribus in vini veteris cyatho uno, lieni medetur: & panacis omnium generum radix in mulso. Sed Teucria præcipuè, pota arida & decocta quantum manus capiat, in aceti heminis tribus. Ad vulnus illinitur eadem cum aceto: aut si tolerari non possit, ex ficu vel aquâ. Polemonia bibitur ex vino. Vettonica drachmâ in oxymelitis cyathis tribus. Aristolochia, ut contra serpentes Argemonia septem diebus in cibo sumpta lienem consumere dicitur: agaricum in aceto mulso obolis duobus. Nymphææ heracliaæ radix e vino pota, & ipsa consumit. Cissanthemus, drachmâ bis die sumptâ, in vini albi cyathis duobus per dies XL. lienem dicitur paulatim emittere per urinam. Prodest & hyssopum cum fico decoctum. Lonchitidis radix decocta, priusquam semen emittat. Peucedani quoque radix decocta & lieni & renibus. Lien acori potu consumitur. Præcordiis & ilibus utilissimæ radices. Clymeni semen potum diebus triginta pondere denarii in vino albo. Vettonicæ farina ex melle & aceto scillite pota. Radix lonchitidis in aquâ,

& Teucrium illinitur. Item scordium cum cerâ, agaricum cum farinâ feni Græci.

XLIX. Vesicæ malis, contraque calculos, gravissimis cruciatibus, ut diximus, auxilio est Polemonia ex vino pota: item agaricum. Plantago radice vel foliis potis ex passo. Vettonica, ut in jocinere diximus: item ramici, pota atque illita: eadem ad strangurias efficacissima. Ad calculos quidam Vettonicam & verbenacam & millefolium æquis portionibus, ex aquâ, pro singulari remedio bibere suadent. Strangurias discuti & dictamno certum est. Item quinquefolio decocto ad tertias in vino: hoc & enterocelicis dari atque illini, utilissimum est. Xiphii quoque radix superior urinam ciet infantibus. Enterocelicis datur ex aquâ, & illinitur vesicæ vitiis. Peucedani succus infantium ramici: & umbilicis eminentibus psyllion illinitur. Urinam ciet anagallides, acorique radicis decoctum, vel ipsa trita potaque: & omnia vesicæ vitia sanat. Et calculos herba & radix cotyledonis. Itemque genitalium inflammationem omnem, pari pondere caulis, & feminis, & myrrhæ. Ebulum teneris cum foliis tritum, ex vino potum, calculos pellit: impositum testes sanat. Erigeron quoque cum farinâ thuris & vino dulci, testium inflammationes sanat. Symphyti radix illita enterocelas cohibet:

genitalium nomas hypocisthis alba. Artemisia quoque datur contra calculos ex vino dulci, & ad stranguriam. Dolores vesicæ sedat ex vino nymphææ heracliaæ radix.

L. Eadem vis crethmo ab Hippocrate admodum laudatæ. Est autem inter eas quæ eduntur silvestrium herbarum. Hanc certè apud Callimachum apponit rustica illa Hecale: speciesque est batis hortensiaæ. Caulis unus palmum altus, semen ferens odoratum, ceu libanotidis rotundum, siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant. Folio pingui, albicante veluti olivæ, crassiore, & falso gustu: radices digiti crassitudine tres aut quatuor. Nascitur in maritimis petrosis. Estur crudum coctumve cum olere, odorati saporis & jucundi. Servatur etiam in muriâ: præcipui usûs ad stranguriam, folio, vel caule, vel radice ex vino. Colorem quoque corporis gratiorem facit: verùm æquò largior inflationes. Alvum solvit decocto, urinamque, & a renibus humorem trahit. Sic & alceæ siccaæ farina in vino pota, stranguriam tollit, efficacius addito dauco. Lienis quoque utilis. Adversus serpentes bibitur. Jumentis quoque in pituitâ, aut stranguriâ hordeo inspersa succurrit.

LI. Anthyllion est lenti simillima, quæ in vino pota vesicas vitiiis liberat, sangui-

nem sistit. Altera est anthyllis, chamæpityos similis, flore purpureo, odore gravi, radice intubi.

LII. Vel magis medetur cepæa, similis porcilacæ, nigriore radice, sed inutili, nascens in litoribus arenosis, gustu amara. In vino cum asparagi radice vesicæ plurimum prodest.

LIII. Eadem præstat hypericon, quam alii chamæpytin, alii corion appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, femine in siliquâ nigro, maturescente cum hordeo. Natura femini spissandi: alvum sistit: urinam ciet: vesicæ cum vino bibitur.

LIV. Est aliud hypericon, quod alii corin appellant, folio tamaricis, & sub eâ nascitur, sed pinguioribus foliis & minùs rubentibus, odoratum, palmo altius, suave, leniter acutum. Vis femini excalfactoria: & ideo inflationem facit: sed stomacho non inutile: præcipuum ad stranguriam, si exulcerata non sit vesica. Medetur & pleuriticis ex vino potum.

LV. Vesicæ autem callithrix trita simul cum cumino, & data ex vino albo. Verbenaca quoque cum foliis decocta ad tertias, vel radix ejus e mulso calido calculos ejicit.

Item perpressa, quæ Aretii & in Illyrico nascitur, in aquâ decocta e tribus he-

minis ad unam, & pota. Trifolium ex vino sumptum. Et chrysanthemum. Anthemum quoque calculos ejicit, parvis a radice foliis quinis, caulibus longis duobus flore roseo: radices tritæ per se, ceu laver crudum.

LVI. Silaus nascitur glareosis & perennibus rivis, cubitalis apii similitudine. Coquitur, ut olus acidum, magnâ utilitate vesicæ: quæ si scabiem sentiat, panacis radice sanatur, aliter inutile vesicis. Calculos pellit malum erraticum, radice librâ in vini congio decocta ad dimidias: inde heminæ sumuntur per triduum. Reliquum ex vino cum sio: urtica marina, & daucum, & plantaginis semen ex vino.

LVII. Et herba Fulviana trita ex vino, (& hæc nomen inventoris habet, nota tractantibus,) urinas ciet.

LVIII. Scordion testium tumores sedat. Hyoscyamum genitalibus medetur: peucedani succus ex melle, & semen, stranguriæ: agaricum obolis tribus in vini veteris cyatho uno: trifolii radix drachmis duabus in vino: dauci unâ drachmâ, vel seminis. Ischiadici & femine & foliis erythrodani tritis sanantur: panace pota: & infricatâ Polemoniâ, aristolochiæ decocto folii. Agarico quidem & nervus, qui platys appellatur, & humerorum dolor sana-

tur, obolis tribus in vini veteris cyatho uno poto. Quinquefolium ischiadicis & bibitur & imponitur. Item scammonia decocta cum hordei farinâ. Semen hyperici utriusque bibitur ex vino. Sedis vitia & attritus celerrimè sanat plantago : condylomata quinquefolium : sedem everfam cyclamini radix ex aceto. Anagallidum cærulea procidentiam fedis retro agit : e diverso rubens proritat. Cotyledon condylomata & hæmorrhoidas mirè curat. Testium tumores acori radix decocta in vino, tritaque, & illita. Intertrigines negat fieri Cato, absinthium Ponticum secum habentibus.

9. Alii adjiciunt & pulegium : quod jejunos qui legerit, si post se alliget, inguinis dolores prohibet, aut sedat cœptos.

LIX. Inguinalis (quam quidam argemonem vocant) passim in vepribus nascens, ut prosit inguinibus, in manu tantum habenda est.

LX. Panos sanat panaces cum melle : plantago cum sale : quinquefolium : persolatae radix, ut in strumis : item damasonium : verbascum cum suâ radice tusum, vino aspersum, folioque involutum, & ita in cinere calfactum, ut imponatur calidum. Experti adfirmavere, plurimum referre si virgo imponat nuda, jejuna jejuno, & manu supinâ tangens dicat : « Negat

» Apollo pestem posse crescere, cui nu-
 » da virgo restinguat » : atque ita retrorsâ
 manu ter dicat, totiesque despuant ambo.
 Medetur & radix mandragoræ ex aquâ :
 radice scammonia decoctum cum melle :
 sideritis cum adipe vetere : vel Chrysip-
 pea cum ficis pinguibus : & hæc ab in-
 ventore habet nomen.

LXI. 10. Venerem in totum adimit, ut
 diximus, nymphæa heraclia : eadem semel
 pota, in XL. dies. Infomnia quoque Ve-
 neris a jejuno pota, & in cibo sumpta. Il-
 lita quoque radix genitalibus, inhibet non
 solum Venerem, sed & affluentiam genitu-
 ræ, ob id corpus alere vocemque dicitur.
 Adpetentiam Veneris facit radix e xiphio
 superior, data potu in vino. Item quam
 crethmon agrion appellant : & horminos
 agrios cum polentâ contrita.

LXII. Sed inter pauca mirabilis est or-
 chis herba : sive serapias, foliis porri, cau-
 le palmeo, flore purpureo, geminâ radi-
 ce, testiculis simili : ita ut major, sive (ut
 aliqui dicunt) durior, ex aquâ pota exci-
 tet libidinem : minor sive mollior, e lacte
 caprino inhibeat. Quidam folio scillæ esse
 dicunt, læviore ac minore, caule spino-
 so. Radices sanant oris ulcera : thoracis pi-
 tuitas, alvum sistunt e vino potæ. Conci-
 tatricem vim habet satyrion. Duo ejus ge-
 nera : una longioribus foliis, quàm oleæ,

caule quatuor digitorum, flore purpureo, radice geminâ ad formam hominis testium, alternis annis intumescente eâ ac residente. Altera satyrios orchis cognominatur, & femina esse creditur. Distinguitur interno- diis & ramosiore frutice, radice fascinis utili. Nascitur fere juxta mare. Hæc tu- mores, & vitia partium earum cum po- lentâ illita sedat, vel per se. Superioris ra- dix in lacte ovis colonicæ data, nervos intendit: eadem ex aquâ remittit.

LXIII. Græci satyrion, foliis lilii ru- bri, minoribus, & tribus non amplius e terrâ exeuntibus tradunt, caule lævi, cubi- tali, nudo, radice geminâ: cujus inferior pars & major mares gignat, superior ac minor feminas. Et aliud genus satyrii ery- thraicon appellant, femine viticis majore, lævi: duræ radice, cortice rubro, intus album includi, sapore subdulce, fere in montuosis inveniri. Venerem etiamsi om- nino manu teneatur radix, stimulari: adeò si bibatur in vino austero. Arietibus quo- que & hircis segnioribus in potu dari. Et a Sarmatis, equis ob adsiduum laborem pigrioribus in coitu, quod vitium profe- damum vocant. Vim ejus restinguit aqua mulsa, aut lactuca sumpta. In totum qui- dem Græci, cùm concitationem hanc vo- lunt significare, satyrion appellant: sic & cratægin cognominantes, & thelygonon,

& arrhenogonon, quarum semen testium simile est. Tithymali quoque ramorum medullam habentes, ad Venerem proniores fieri dicuntur. Prodigiosa sunt, quæ circa hoc tradidit Theophrastus, auctor alioqui gravis, septuageno coitu durasse libidinem contactu herbæ cujusdam, cujus nomen genusque non posuit.

LXIV. Sideritis adalligata varices minuit, & sine dolore persanat. Podagræ morbus rarior solebat esse non modò patrum avorumque memoriâ, verùm etiam nostrâ, peregrinus & ipse. Nam si Italiæ fuisset antiquitus, Latinum nomen invenisset. Insanabilis non est credendus: quippe quoniam & in multis sponte desiit, & in pluribus curâ. Medentur panacis radices, cum uvâ passâ: succus hyoscyami cum farinâ, vel semen: scordion ex aceto: iberis, uti dictum est. Verbenaca cum axungia trita, cyclamini radix, cujus decoctum & pernionibus prodest. Podagras refrigerat radix e xiphio, semen e psyllio, cicuta cum lithargyro aut axungia, aizoum in primo impetu podagræ rubentis, hoc est, calidæ. Utrilibet verò convenit erigeron cum axungia, plantaginis folia trita addito sale modico, argemonia tusa ex melle. Medetur & verbenaca illita, aut si pedes macerentur in aquâ in quâ decocta sit.

LXV. Et lappago, similis anagallidi, ni-

si esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, gravis odoris: quæ talis est, mollugo vocatur. Similis, sed asperioribus foliis, asperugo. Superioris succus expressus pondere XI. denariorum in vini cyathis duobus quotidie sumitur.

LXVI. Præcipuè verò liberat eo malo phycos thalassion, id est, fucus marinus, lactucæ similis, qui conchyliis substernitur: non podagræ modò, sed omnibus articulorum morbis impositus, priusquam exarefiat. Tria autem genera ejus: latum, & alterum longius, quadamtenus rubens: tertium crispis foliis, quo in Cretâ vestes tinguunt: omnia ejusdem usûs. Nican-der ea & adversùs serpentes in vino dedit. Salutare est & semen ejus herbæ, quam psyllion appellavimus, madefactum aquâ, admixtis in heminam feminis, resinæ Colophonæ cochlearibus duobus, thuris uno. Laudantur & mandragoræ folia cum polentâ tusa.

II. Talis verò tumentibus limus aquaticus cum oleo subactus mirè prodest. Articulis succus e centauro minore. Idem nervis utilissimus. Item centauris. Vettonica nervis discurrentibus per scapulas, humeris, spinæ, lumbis, pota, ut in jocinere. Articulis quinquefolium impositum. Mandragoræ folia cum polentâ, vel radix

recens tusa cum cucumere silvestri, vel decocta in aquâ. Digitorum in pedibus rimis polypodii radix. Articulis succus hyocyami cum axungiâ: amomi succus cum decocto: item centunculus decocta, vel muscus recens ex aquâ obligatus, donec inarescat:

Item lappæ boariæ radix e vino pota. Cyclaminos decocta in aquâ perniunculos curat, omniaque alia frigoris vitia. Perniunculos & cotyledon cum axungiâ: folia ex batrachio: epithymi succus. Clavos pedum extrahit ladanum cum castoreo: verbenaca ex vino.

LXVII. Nunc peractis malis quæ membratim sentiuntur, dicemus de his, quæ totis corporibus grassantur. Remedia autem hæc communia invenio. Ante omnes potandam dodecatheum, de quâ diximus: deinde panacis omnium generum radices, peculiariter longinquis morbis, & semen interaneorum vitiis. Ad omnes verò corporis dolores succum e scordio: item Vetonicæ, quæ pota colorem plumbeum corporis privatim emendat, gratioresque reducit.

LXVIII. Geranion aliqui myrrhin: alii myrtidan appellant. Similis est cicutæ, foliis minutioribus, & caule brevior, rotunda, saporis, & odoris jucundi. Nostri sic eam tradunt. Græci foliis candidioribus pau-

lo quàm malvæ, caulibus tenuibus, pilosis, ramosam ex intervallis, binûm palmorum, & in his foliis, inter quæ in cacuminibus capitula sint gruum. Alterum genus foliis anemones, divisuris longioribus, radice mali modo rotundâ, dulci, reficientibus se ab imbecillitate utilissimâ: & fere talis vera est. Bibitur contra phthisin drachmâ in vini cyathis tribus bis die. Item contra inflationes: & cruda idem præstat. Succus radice auribus medetur. Opisthonicis semen drachmis quatuor cum pipere & myrrhâ potum. Phthisin sanat & plantaginis succus, si bibatur, & ipsa decocta. In cibo cum sale & oleo, & a somno matutino, refrigerat. Eadem datur his, quos atrophos vocant, interpositis diebus. Vettonica verò phthisicis, ecligmate cum melle, fabæ magnitudine: agaricum potum duobus obolis in passo, vel daucon cum centauro majore in vino. Phagedænis (quod nomen sine modo esurientium est, & aliàs ulcerum) tithymali medentur cum sesamis sumpti.

LXIX. Inter mala universi corporis vigiliæ sunt plerisque. Harum remedio monstratur panaces, clymenos, aristolochia, & odore, & peruncto capite: aizoum, sive sedum, si involutum panno nigro, ignorantis pulvino subjiciatur: & onothera, sive onuris, hilaritatem adferens in vi-

no, amygdalaceo folio, flore roseo, fruticosa, longâ radice, & cùm siccata est, vinum olente. Hæc in potu data feras quoque mitigat.

Cruditates, quæ nauseam faciunt, digerit Vettonica. Eadem pota a cenâ concoctionem facit, in oxymelitis cyathis tribus drachmæ pondere: & crapulam discutit. Item agaricum post cibum in aquâ calidâ potum. Paralyisin Vettonica sanare dicitur: item iberis, ut dictum est. Eadem & torpentibus membris prodest: item argemonia, omnia quæ periclitentur secari, discutiendo.

LXX. Comitiales sanant panacis, quam Heraclion diximus, radices potæ cum coagulo vituli marini, ita ut sint panacis tres partes: plantago pota: Vettonicæ in oxymelite drachma, vel agaricum obolis tribus: folia quinquefolii ex aquâ. Sanat & archezostis, sed anno pota. Sanat & bacccharis radix arida in pulverem contrita, cyathis tribus cum coriandri uno in aquâ calidâ. Et centunculus trita in aceto, aut melle, aut in aquâ calidâ: verbenaca ex vino pota: hyssopi baccæ ternæ contritæ, & in aquâ potæ diebus sedecim: peucedanum cum coagulo vituli marini æquis portionibus potum: quinquefolii contrita folia ex vino pota diebus xxxi. Vettonicæ farina pondere x. iii. cum aceti scil-

litici cyatho, mellis Attici unciâ : scammonium obolis duobus cum castorei drachmis quatuor.

LXXI. Febres frigidas leviores facit agaricum potum in calidâ aquâ : tertianas sideritis cum oleo : item ladanum, quod in fegetibus nascitur, contusum : plantago ex aquâ mulsâ, duabus horis ante accessionem pota binis drachmis : vel succus radicis madefactæ vel tufæ : vel ipsa radix trita in aquâ ferro calfactâ. Quidam ternas radices in tribus cyathis aquæ dedere. Iidem in quartanis & quaternas fecerunt. Buglosso inarescente, si quis medullam e caule eximat, dicatque ad quem liberandum feбри id faciat, & alliget ei septem folia ante accessionem, aiunt feбри liberari. Item Vettonicæ drachmam, in aquæ mulsæ cyathis tribus : vel agaricum, maximè in his febribus, quæ cum horrore veniant. Quinquefolii folia quidam terna tertianis dedere, quaterna quartanis, plura ceteris : alii omnibus, tres obolos cum pipere ex aquâ mulsâ. Verbenaca quidem & jumentorum febribus in vino medetur : sed in tertianis a tertio geniculo incisa, quartanis a quarto. Bibitur & semen hypericî utriusque in quartanis, & horroribus. Vettonicæ farina, quæ omnes horrores coeret. Item panaces, adeò excalfactoriâ naturâ, ut per nivem ituris bibere id perun-

gique eo præcipiant. Et aristolochia perfrictionibus resistit.

LXXII. Phreneticos somnus sanat, qui contingit peucedano ex aceto capiti infuso, anagallidum succo. E diverso lethargicos excitare labor est: hoc præstante, (ut perhibent) ex aceto naribus tactis peucedani succo. Contra insanias Vettonica bibitur. Carbunculos rumpit panaces. Sanat Vettonicæ farina ex aquâ, aut brassica cum thure, frequenti potu calidæ: vel e carbone in conspectu restincto, favilla, digito sublata & illita: vel plantago tusa.

LXXIII. Tithymalus characias hydropicos sanat: plantago in cibo, cum prius panem siccum ederint sine potu: Vettonica drachmis duabus in duobus cyathis vini aut mulsi: vel agaricum, vel semen lonchitidis duabus lingulis ex aquâ potum: psyllion ex vino: anagallidum succus: cotyledonis radix e mulso: ebuli recentis radix, excussa tantum, nec colluta, quod duo digiti comprehendant, ex vini veteris calidi heminâ: trifolii radix drachmis duabus ex vino: tithymalum, platyphyllon cognomine: semen hyperici, quod coris appellatur.

Acte, quam quidam esse ebulum putant, radice contritâ in vini cyathis tribus, si febris absit, vel semine ex vino nigro. Item verbenaca, fasciculo manûs plenæ decocta in aquâ ad dimidias.

Præcipuè tamen chamæactes succus ap-
tissimus creditur. Eruptiones pituitæ emen-
dant plantago, cyclamini radix e melle:
ebuli folia trita, & e vetere vino imposi-
ta etiam boam sanant, id est, rubentes
papulas. Pruriginem succus strychni illitus.

LXXIV. Igni sacro medetur aizoum: fo-
lia trita cicutæ: mandragoræ radix. Secatur
in asses ut cucumis: primòque super mustum
suspenditur, mox in fumo: dein tunditur in
vino aut aceto. Prodest & vino myrteo fo-
vere: mentæ sextans, vivi sulphuris uncia,
ex aceto simul trita: fuligo ex aceto. Ignis
sacri plura sunt genera, inter quæ medium
hominem ambiens, qui zooster appellatur,
& enecat, si cinxerit. Medetur plantago
cum cretâ Cimoliâ, & peristereos per se:
radix persolata. Aliis quæ serpunt, coty-
ledonis radix cum mulso, aizoum, succus
linozostis ex aceto.

LXXV. 12. Radix polypodii illita lu-
xatis medetur. Doloremque & tumores tol-
lunt semen psyllii, folia plantaginis tusa,
sale modico addito: verbasci semen ex vi-
no decoctum & contritum: cicuta cum
axungia. Folia ephemeris tuberibus tumo-
ribusque illinuntur, quæ etiamdum discu-
ti possunt.

LXXVI. Morbum regium in oculis præ-
cipuè mirari est, tenuitatem illam densi-
tatemque tunicarum felle subeunte. Hip-

pocrates a septimo die in febre mortiferum signum esse docuit. Nos scimus vixisse aliquos etiam ab hac desperatione. Fit verò & citra febres, impugnaturque centaurio majore (ut diximus) potio, Vetonica, agarici obolis tribus ex vini veteris cyatho: item verbenacæ folio, obolis tribus ex vini calidi heminâ quatrìduò. Sed celerrimè quinquefolii succus medetur tribus cyathis potus cum sale & melle. Cyclamini radix drachmis tribus bibitur in loco calido, & a perfrictionibus tuto: sudores enim felleos movet. Folia tussilaginis ex aquâ: semen linozostis utriusque inspersum potioni, vel cum absinthio aut cicere decoctum: hyssopi baccæ cum aquâ potæ: lichen herba, si cum sumitur, cetero olere abstineatur: polythrix in vino data, struthion in mulso.

LXXVII. Passim & in quacumque parte maximâ incommoda nascuntur, qui furunculi vocantur, mortiferum aliquando malum confectis corporibus. Remedio sunt pycnocomi folia trita cum polentâ, si nondum caput fecerint. Discutiunt & folia ephedri illita.

LXXVIII. Fistulæ quoque in omni parte serpunt, medicorum vitio malè sectis corporibus. Auxilio est centaurium minus, collyriis cum melle decocto additis: plantaginis succus infusus: quinquefolium cum

fale & melle : ladanum cum castoreo : cotyledon cum medullâ cervinâ calefacta & imposita : verbasci radicis medulla collyrii tenuitate in fistulam additur : vel aristolochiæ radix, vel succus tithymali.

LXXIX. Collectiones inflammationesque sanant argemoniæ folia illita. Duritias & collectiones omnes verbenaca, vel quinquefolium decoctum in aceto : verbasci folia vel radix, hyssopum e vino impositum : acori radix, decocto ejus herbæ foventibus : aizoum. Item quæ contusa sint, duritiasque & sinus corporis, illecebra. Omnia infixâ corpori extrahunt, folia tussilaginis, daucum, semen leontopodii tritum in aquâ cum polentâ. Suppurationibus imponuntur pycnocomi folia trita cum polentâ, vel semen, item orchis. Vitia, quæ sint in ossibus, satyrii radice impositâ, efficacissimè sanari dicuntur. Nomæ & collectiones omnes fuce maris, priusquam inarescat. Et alceæ radix collectiones discutit.

LXXX. Ambusta sanantur plantagine, arctio, ita ut cicatrix fallat. Folia ejus in aquâ decocta & contrita illinuntur : radices cyclamini cum aizoo : herba ipsa hyperici, quod corion appellavimus.

LXXXI. Nervis & articulis convenit plantago trita cum sale : argemonia tusa ex melle. Peucedani succo perunguntur spastici, tetanici. Nervorum duritiæ ægilops succo,

doloribus erigeron ex aceto illinitur. Epithymo spasticis, & opisthotonicis perungui: femine hyperici, quod coris vocatur, idemque bibere prodest. Phrynion dicitur etiam abscisos sanare nervos, si confestim imponatur trita vel mansa. Spasticis, tremulis, opisthotonicis, alceæ radix bibitur ex aquâ mulsâ. Sic & rigores excalfacit.

LXXXII. Sanguinis profluvium sistit herbæ pæoniæ semen rubrum. Eadem & in radice vis. Clymenos verò, si ore sanguis rejiciatur, sive e naribus, sive alvo fluat, sive feminarum utero. Item Lysimachia pota vel illita, vel naribus indita: item plantaginis semen: quinquefolium potum & illitum: cicutæ semen in nares, si inde fluat, tritum ex aquâ inditum: aizoum, astragali radix: sistit & ischæmon, & Achillea.

LXXXIII. 13. Equisetum hippuris a Græcis dicta, & in pratis vituperata nobis, (est autem pilus terræ, equinæ setæ similis) lienes cursorum extinguit decocta fistili novo ad tertias, quantum vas capiat, & per triduum heminis pota: unctis esculentis ante diem unum interdicitur. Græcorum varia circa hanc opinio. Alii pinûs foliis similem, nigricantem, eodem nomine appellant, vim ejus admirabilem tradentes, sanguinis profluvia vel tacto tantum eâ homine sisti. Alii hippurin, alii

ephedron, alii anabasin vocant. Traduntque juxta arbores nasci, & scandentem eas dependere comis junceis multis nigris, ut est equorum cauda, geniculatis ramulis, folia habere pauca, tenuia, exigua. Semen rotundum, simile coriandro, radice lignosâ: nasci in arbuftis maximè. Vis ejus spiffare corpora. Succus sanguinem e naribus fluentem inclusus sistit: item alvum. Medetur dysentericis in vino dulci, potus cyathis tribus. Urinam ciet: tussim, orthopnoeam sanat: item rupta, & quæ serpunt. Intestinis & vesicæ folia bibuntur. Enterocalem cohibet. Faciunt & aliam hippurin, brevioribus & mollioribus comis, candidioribusque, perquam utilem ischiadicis, & vulneribus ex aceto impositam, propter sanguinem sistendum.

Et nymphæa trita plagis imponitur. Peucedanum cum femine cupressi bibitur, si sanguis per os redditus est, fluxitve ab infernis. Sideritis tantam vim habet, ut quamvis recenti gladiatoris vulnere illigata, sanguinem claudat: quod facit & ferulæ cinis, vel carbo: fungus verò etiam efficacius, qui secundùm radicem ejus nascitur.

LXXXIV. Per nares autem fluenti, & cicutæ semen tritum ex aquâ inditumque, efficax habetur: item stephanomelis ex aquâ. Vertonicæ farina e lacte caprino po-

ra, sistit ex ubere fluentem: plantagoque contusa. Eiusdem succus vomentibus sanguinem datur. Ad erraticum autem radix persolatae cum axungia veteri illita probatur.

LXXXV. Ruptis, convulsisque, ex alto dejectis, centaurium majus, Gentianae radix trita vel decocta, vel succus Vettonicae, & hoc amplius a vocis aut lateris contentionibus: panaces, scordion, aristolochia, pota: agaricum item contusis & everis potum duobus obolis in mulsi cyathis tribus: aut si febris sit, in aqua mulsa: verbascum, cujus flos similis auro est: acori radix, aizoum omne, sed majoris succus efficacissime: item symphyti radice decoctum: daucum crudum. Erysithales est flore luteo, foliis acanthi: bibitur e vino: item chamærops: & in sorbitione irio, vel plantago omnibus modis.

LXXXVI. Item phthiriasi, (quâ Sulla dictator consumptus est, nascunturque in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus,) resistitur uvæ taminiae succo, aut veratri, cum oleo perunctis corporibus. Taminia quidem in aceto decocta, etiam vestes eo tædio liberat.

LXXXVII. 14. Ulcera multorum sunt generum, ac multis modis curantur. Panacis omnium generum radix e vino calido illinitur manantibus. Siccat privatim,

quam Chironiam diximus. Cum melle trita tubera aperit: ulceribusque, quæ serpunt, deploratis auxilio est, cum æris flore vino temperato, omnibus modis, vel flore, vel semine, vel radice. Eadem cum polentâ vetustis vulneribus prodest. Heraclion quoque siderion, Apollinaris, psyllium, tragacantha, scordotis cum melle purgat. Farina ejus carnes excrescentes per se insparsa consumit. Polemonia ulcera, quæ cacoethe vocant, sanat: centaureum majus insparsum vel illitum, item minoris coma decocta vel trita, vetera quoque ulcera purgat & persanat. Folliculi clymeni recentibus plagis imponuntur. Illinitur autem Gentiana ulceribus, quæ serpunt, radice tusâ vel decoctâ in aquâ ad mellis crassitudinem, vel succo: vulneribus, ex eâ factum Lycium. Lysimachia recentibus plagis medetur. Plantago omnium generum ulceribus, peculiariter feminarum, senum, & infantium. Igni emollita melior, & cum cerato, crassa ulcerum labra purgat, nomas sistit. Tritam suis foliis integere oportet. Suppurationes, collectiones, sinus ulcerum, chelidoniâ quoque siccantur: vulnera adeò, ut etiam pro spodio utantur. Eadem jam desperatis cum axungiâ imponitur. Diétamnum pota sagittas pellit, & alia tela extrahit illita. Bibitur ex aquæ cyatho foliorum obo:

lo. Proximè pseudodictamnium. Utraque etiam suppurationes discutit. Aristolochia quoque putria ulcera exest: fordida expurgat cum melle, vermesque extrahit: item clavos in ulcere natos, & infixi corpori omnia, præcipuè sagittas, & ossa fracta cum resinâ. Cava verò ulcera explet per se. Et cum iride recentia vulnera ex aceto. Vetera ulcera verbenaca, quinquefolium cum sale & melle. Radices persolatae, vulneribus ferro illatis recentibus imponuntur: folia veteribus. Cum axungia utrumque: & suo folio operitur. Damasonium, ut in strumâ: folia verbasci ex aceto aut vino. Peristereos ad omnia genera, vel calloforum putrescentiumque ulcerum facit. Manantia nymphææ heracliae radix sanat. Item cyclamini radix vel per se, vel ex aceto, vel cum melle. Eadem & contra steatomata efficax, sicut ad ulcera manantia hyssopum: item peucedanum, cui ad recentia vulnera vis tanta est, ut squamam ossibus extrahat. Præstant hoc & anagallides, cohibentque quas vocant nomas, & rheumatismos. Utiles & recentibus plagis, sed præcipuè senum corpori. Cum cerato apostemata & ulcera tetrâ, folia mandragoræ recentia: radix vulnera cum melle aut oleo: cicuta cum sigilline mixta mero: aizoum herpetas quoque & nomas, ac putrescentia, sicut erigeron

geron verminosa: recentia autem vulnera astragali radix: & vetera quoque ulcera purgat hypocisthis utraque. Leontopodii semen tritum in aquâ, & cum polentâ illitum, spicula sagittarum extrahit: item pycnocomi semen. Tithymalus characias succo gangrænas, phagedænas, putria, vel decocto ramorum cum polentâ & oleo: orchis radices hoc amplius, & cacoethe ex aceto cum melle, siccæ & recentes: per se onothera efferantia sese ulcera sanant. Scythæ vulnera scythice curant. Ad carcinomata, argemonia ex melle efficacissima est. Vulneribus præsanatis asphodeli radix decocta, ut diximus, trita cum polentâ & illita: quibuscumque verò Apollinaris. Astragali radix in pulverem trita humidis ulceribus prodest: item callithrix decocta in aquâ. Privatim verò iis quæ calceamento facta sint, verbenaca, nec non & Lysimachia contrita, ac nymphaea arida infriata. Polythrix inveteratis iisdem utilior.

LXXXVIII. Polycnemon cunilæ bubulæ similis est, femine pulegii, furculosa, multis geniculis, corymbo odorato, acri & dulci odore: ferro factis vulneribus comanducata imponitur, quinto die solvitur. Symphyton ad cicatricem celerrimè perducit: item sideritis. Hæc imponitur ex melle. Verbasci femine ac foliis ex vino

decoctis ac tritis omnia corpori infixā extrahuntur : item mandragoræ foliis cum potentâ : cyclamini radicibus cum melle. Trixaginis folia in oleo contrita iis maximè adhibentur ulceribus, quæ serpunt : & alga in melle trita. Vettonica ad carcinomata, & melanias veteres, addito sale.

LXXXIX. Verrucas tollit argemonia ex aceto, vel batrachii radix, quæ & unguis scabros aufert. Linozostidis utriusque folia, vel fuccus illitus. Tithymali omnes genera verrucarum omnium : item omnia pterygia, varosque tollunt. Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit ladanum. Artemisiam & elelisphacum alligatas qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire.

XC. 15. Muliebribus morbis medetur maximè in universum pæoniæ herbæ semen nigrum ex aquâ mulsâ. Eadem & in radice vis menses ciet : panacis semen cum absinthio menses & sudores : scordotis potu & illitu. Vettonica drachmâ in vini cyathis tribus bibitur contra omnia vulvarum vitia, aut quæ a partu fiunt. Menses nimios sistit Achillea imposita, & decoctum ejus insidentibus. Mammis imponitur hyoscyami semen ex vino : locis radix e cataplasmate : & mammis etiam chelidonia. Secundas morantes, vel partus emortuos, radices panacis adpositæ extrahunt. Ipsum panaces in vino potum vulvas purgat, adpositumque cum melle. Po-

lemonia pota ex vino, secundas pellit: nidore corrigit vulvas. Centaurei minoris succus potu, fotuque menses ciet. Item majoris radix, in vulvæ doloribus iisdem modis prodest. Derafa verò & adposita, extrahit partus emortuos. Plantago adponitur in lanâ in dolore vulvæ: in strangulatu bibitur. Sed præcipua dictamno vis est. Menses ciet, partus emortuos vel transversos ejicit: bibitur ex aquâ foliorum obolo, adeò ad hæc efficax, ut ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. Nec potu tantum, sed & illitu, & suffitu valet. Proximè pseudodictamnum. Sed menses ciet cum mero decoctum pondere denarii. Pluribus tamen modis aristolochia prodest: nam & menses & secundas ciet, & emortuos partus extrahit, myrrhâ & pipere additis, pota, vel subdita. Vulvas quoque procidentes inhibet fotu, vel suffitu, vel subjectu, maximè tenuis. Strangulatum ab his, mensiumque difficultatem, agaricum tribus obolis in vini veteris cyatho potum, emendat: peristereos adposita in adipe suillo recenti: anthirri non cum rosaceo & melle. Item adposita nymphææ Thessalæ radix, dolori medetur. In vino nigro pota profluvia inhibet. E diverso ciet cyclamini radix pota & adposita. Et vesicæ insidentium decocto medetur. Secundas pota cissanthemos

pellit, vulvam sanat. E xiphio radix superior menses ciet, drachmâ ex aceto pota. Peucedanum strangulatus vulvæ nido-
re ustum recreat: menses albos præcipuè
psyllium drachmâ in cyathis tribus aquæ
mulsæ ciet: semen mandragoræ potum
vulvam purgat. Menses ciet succus adpo-
situs, & emortuos partus. Nimia rursus
profluvia sistit semen cum vivo sulphure:
contrà facit batrachion potu vel cibo, ar-
dens aliàs (ut diximus) cruda. Sed cocta
commendatur sale, & oleo, & cumino.
Daucum & menses & secundas potu fa-
cillimè pellit. Ladanum suffitu corrigit vul-
vas: dolori earum exulceratisque imponi-
tur. Emortua scammonium pellit, potum
vel adpositum. Menses ciet hypericum
utrumque, adpositum. Ante alia verò (ut
Hippocrati videtur) crethmos e vino, fe-
mine vel radice: cortice trahit & secun-
das: succurrit & strangulationibus ex aquâ
pota: item radix e geranio peculiariter se-
cundis, inflationibusque vulvarum con-
veniens: purgat hippuris pota & adposi-
ta vulvas. Polygonus pota menses ciet,
& alceæ radix. Folia plantaginis pellunt,
item agaricum ex aquâ mulsâ. Artemisia
vulvæ medetur trita, ex oleo irino, aut
fico, aut cum myrrhâ adposita. Eiusdem
radix pota in tantum purgat, ut partus
enectos extrahat. Menses & secundas ciet

ramorum decoctum insidentibus : item fo-
 lia pota drachmâ. Ad eadem omnia pro-
 sunt vel imposita ventri, immo cum fa-
 rinâ hordeaceâ. Acoron quoque utile est
 interioribus feminarum morbis, & cony-
 za utraque, & crethmos. Et anthyllides
 duæ vulvis utilissimæ, torminibusque, fe-
 cundarum moræ, in vino potæ. Callithrix
 fotu locis medetur, albugines in capite
 tollit, capillos inficit oleo trita. Geranion
 in vino albo potum, hypocisthis in rubro,
 profluvium sistunt. Hyssopum suffocatio-
 nes laxat. Radix verbenacæ pota ex aquâ,
 ad omnia in partu aut ex partu mala,
 præstantissima est. Peucedano quidam mis-
 cent in vino nigro semen cupressi con-
 tritum. Nam semen psyllii defervefactum
 in aquâ, cum intepuit, epiphoras omnes
 uteri lenit. Symphyton tritum in vino ni-
 gro evocat menses. Partus adcelerat scor-
 dotis pota, drachmâ succi in aquâ mulsâ
 cyathis quatuor: dictamni folia præclarè
 dantur ex aquâ. Constat unius oboli pon-
 dere, vel si mortui sint in utero infantes,
 protinus reddi sine vexatione puerperæ. Si-
 militer prodest pseudodictamnium, sed tar-
 diùs: cyclaminos adalligata: cissanthemos
 pota: item vettonicæ farina ex aquâ mulsâ.


XCI. Arsenogonon & thelygonon her-
 bæ sunt habentes uvas floribus oleæ si-
 miles, pallidiores tamen, semen album

papaveris modo. Thelygoni potu feminam concipi narrant. Arsenogonon ab eâ femine oleæ, nec alio distat. Hujus potu mares generari perhibentur, si credimus. Alii utramque ocimo similem tradunt. Arsenogoni autem semen geminum esse testibus simile.

XCII. Mammaram vitiiis aizoum, quod digitellum appellavimus, unicè medetur. Erigeron ex passo mammas uberiores facit: sonchum in farre coctum. Quæ verò mastos vocatur, illita, pilos mammaram e partu nascentium aufert: testas in facie, aliaque cutis vitia emendat. Gentiana, nymphæa Heraclia illita, cyclamini radix, maculas omnes. Cacaliæ grana mixta ceræ liquidæ extendunt cutem in facie, eru-gantque: vitia omnia acori radix emendat.

XCIII. Capillum Lysimachia flavum facit: denigrat hypericon, quod & corion vocatur.

Item ophrys herba denticulato oleri similis: foliis duobus. Nigritiam dat & Polemonia, in oleo decocta. Psilothrum nos quidem in muliebribus medicamentis tractamus: verùm jam & viris est in usu. Efficacissimum autem habetur archezostis: item tithymali succo, vel in Sole cum oleo illito crebrò, vel evulsis pilis. Quadrupedum scabiem sanat hyssopum ex oleo, suum anginas peculiariter sideritis. Verùm & reliqua genera herbarum reddamus.



LIBER XXVII.

Reliqua herbarum genera, & medicinae.

I. I. **C**RESCIT profectò apud me certè tractatu ipso admiratio antiquitatis: quantoque major copia herbarum dicenda restat, tantò magis adorare priscorum in invenièdo curam, in tradendo benignitatem subit. Nec dubiè superata hoc modo posset videri etiam rerum naturæ ipsius munificentia, si humani operis esset inventio. Nunc verò deorum fuisse eam apparet, aut certè divinam, etiam cùm homo inveniret: eandemque omnium parentem & genuisse hæc, & ostendisse, nullo vitæ miraculo majore, si verum fateri volumus. Scythicam herbam a Mæotis paludibus, & euphorbiam e monte Atlante utraque Herculis columnas: & ipso rerum naturæ defectu, parte aliâ brittanica ex Oceani insulis extra terras positis, itemque Æthiopidem ab exusto sideribus axe: alias præterea aliunde ultro citroque humanæ salutis in toto orbe portari, immensâ Romanæ pacis majestate, non

homines modò diversis inter se terris gentibusque, verùm etiam montes & excedentia in nubes juga, partusque eorum & herbas quoque invicem ostentante. Æternum quæso deorum sit munus istud. Adeò Romanos, velut alteram lucem, dedisse rebus humanis videntur.

II. 2. Sed antiquorum curam diligentiamque quis possit fatis venerari, cùm constet omnium venenorum ocissimum esse aconitum: & tactis quoque genitalibus feminini sexûs animalium eodem die inferre mortem? Hoc fuit venenum, quo interemptas dormientes a Calpurnio Bestiâ uxores M. Cæcilius accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio ejus in digitum. Ortum fabulæ narravere, e spumis Cerbericis, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monstratur is ad inferos aditus, gigni. Hoc quoque tamen in usus humanæ salutis vertere: scorpionum ictibus adversari, experiendo datum in vino calido. Ea est natura ut hominem occidat, nisi invenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus invento. Sola hæc pugna est, cùm venenum in visceribus reperit: mirumque, exitialia per se ambo cùm sint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo supersit. Immo verò etiam ferarum remedia antiqui prodiderunt, de-

monstrando quomodo venenata quoque ipsa sanarentur. Torpescunt scorpiones aconiti tactu, stupentque pallentes, & vinci se confitentur. Auxiliatur his elleborum album, tactu resolvente: ceditque aconitum duobus malis, suo & omnium. Quæ si quis ullo fortè ab homine excogitari potuisse credit, ingratiè deorum munera intelligit. Tangunt carnes aconito, necantque gustatu earum pantheras: nisi hoc fieret, repleturas illos situs. Ob id quidam pardalianches appellavere. At illas statim liberari morte, excrementorum hominis gustu, demonstratum. Quod certè casu repertum quis dubitet? & quoties fiat etiam nunc ut novum nasci? quoniam feris ratio & usus inter se tradi non possit.

3. Hic ergo casus, hic est ille, qui plurima in vitâ invenit deus. Hoc habet nomen, per quem intelligitur eadem & parens rerum omnium & magistra natura, utrâque conjecturâ pari, sive ista quotidie feras invenire, sive semper scire judicemus. Pudendumque rursus, omnia animalia, quæ sint salutaria ipsis, nosse, præter hominem. Sed majores oculorum quoque medicamentis aconitum misceri saluberrimè promulgavere, apertâ professione malum quidem nullum esse sine aliquo bono. Fas ergo nobis erit, qui nulla diximus venena, monstrare quale sit aconitum, vel

deprehendendi gratiâ. Folia habet cyclamini aut cucumeris, non plura quatuor, ab radice leniter hirsuta. Radicem modicam cammaro similem marino. Quare quidam cammaron appellavere, alii thelyphonon, ex quâ diximus causâ. Radix incurvatur paulum scorpionum modo, quare & scorpion aliqui appellavere. Nec defuerit, qui myoctonon appellare mallent, quoniam procul & e longinquo odore mures necat. Nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideo aconitum aliqui dixere, nullo juxtâ, ne pulvere quidem nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulere. Alii quoniam vis eadem in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiretur.

III. 4. Æthiopsis folia habet phlomo similia, magna & multa, & hirsuta ab radice. Caulem quadrangulum, scabrum, similem arctio, multis concavum alis: semen ervo simile, candidum, geminum: radices numerosas, longas, plenas, molles, glutinosas gustu. Siccæ nigrescunt, duranturque, ut cornua videri possint. Præter Æthiopiam nascuntur & in Idâ monte Troadis, & in Messeniâ. Colliguntur autumno, siccantur in Sole aliquot diebus, ne situm sentiant. Medentur vulvis potæ in vino albo, ischiadicis, pleuriticis, fau-

cibus scabris, decoctæ potu dantur. Sed quæ ex Æthiopiâ venit eximia est, atque illico prodest.

IV. Ageraton ferulacea est, duorum palmorum altitudine, origano similis, flore bullis aureis. Hujus ustæ nidor urinam ciet, vulvasque purgat, tantò magis insidentibus. Causa nominis, quoniam diutissimè non marcescit.

V. Aloe scillæ similitudinem habet, major, & pinguioribus foliis, ex obliquo striata. Caulis ejus tener est, rubens medius, non dissimilis antherico: radice unâ, ceu palo, in terram demissâ: gravi odore, gustu amara. Laudatissima ex Indiâ adfertur, sed nascitur & in Asiâ: non tamen eâ utuntur, nisi ad vulnera recentibus foliis: mirificè enim conglutinat, vel succo. Ob id in turbinibus eadorum eam ferunt, ut aizoum majus. Quidam & caulem ante maturitatem feminis incidunt succi gratiâ, aliqui & folia. Invenitur & per se lacrima adhærens. Ergo pavimentandum, ubi fata sit, censent, ut lacrima non absorbeatur. Fuere, qui traderent in Judæâ super Hierosolyma metallicam ejus naturam: sed nulla magis improba est, neque alia nigrior est, aut humidior. Erit ergo optima pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis, ac jocineris modo coacta, facilè liquescens. Improbanda nigra & dura, are-

noſa quoque, quæ & guſtu intelligitur. Gummi adulteratur, & acaciâ. Natura ejus ſpiſſare, denſare, & leniter calfacere: uſus in multis, ſed principalis alvum ſolvere, cùm pæne ſola medicamentorum, quæ id præſtant, confirmet etiam ſtomachum, adeò non infeſtet ullâ vi contrariâ. Bibitur drachmâ: ad ſtomachi verò diſſolutionem, in duobus cyathis aquæ tepidæ vel frigidæ, cochlearis menſurâ, bis terve in die ex intervallis, ut res exigit. Purgationis etiam cauſâ plurimùm tribus drachmis. Efficacior ſi potâ eâ ſumatur cibus. Capillum fluentem continet cum vino aſturo, capite in Sole contra capillum peruncto. Dolorem capitis ſedat temporibus & fronti impoſita ex aceto & roſaceo, dilutiorque inſuſa. Oculorum vitia omnia ſanari eâ convenit: privatim pruriginis & ſcabiem genarum: item inſignita ac livida, illita cum melle, maximè Pontico. Tonsillas, gingivas, & omnia oris ulcera. Sanguinis exſecrationes, ſi modicæ ſint, drachmâ ex aquâ: ſi minùs, ex aceto pota. Vulnerum quoque ſanguinem, & undecumque fluentem ſiſtit per ſe, vel ex aceto. Aliàs etiam eſt vulneribus utiliſſima, ad cicatricem perducens. Eadem inſpergitur exulceratis genitalibus virorum, condylomatis, rimisque fedis aliàs ex vino, aliàs ex paſſo, aliàs ſicca per ſe, ut exigit mitiganda curatio,

aut coercenda. Hæmorrhoidum quoque abundantiam leniter sistit. Dysenteriaë infunditur. Et si difficiliùs concoquantur cibi, bibitur a cenâ modico intervallo. Et in regio morbo tribus obolis ex aquâ. Devorantur & pilulæ cum melle decocto, aut resinâ terebinthinâ, ad purganda interiora. Digitorum pterygia tollit. Oculorum medicamentis lavatur, ut quod sit arenosissimum subsidat. Aut torretur in testâ, pennâque subinde versatur, ut possit æqualiter torreri.

VI. Alcea folia habet similia verbenacæ, quæ aristereon cognominatur, caules tres aut quatuor, foliorum plenos, florem rosæ, radices albas, cùm plurimùm sex, cubitales, obliquas. Nascitur in pingui solo, nec sicco. Usus radiceis ex vino vel ex aquâ dysentericis, alvo citæ, & ruptis convulsis.

VII. Alypon cauliculus est molli capite, non dissimilis betæ, acre gustatu ac lentum, mordensque vehementer & accendens. Alvum solvit in aquâ mulsâ, addito sale modico. Minima portio duarum drachmarum, media quatuor, maxima sex: eâ purgatione quibus datur e gallinaceo jure.

VIII. Alsine, quam quidam myosoton appellant, nascitur in lucis, unde & alsine dicta est. Incipit a mediâ hieme, arefcit æstate mediâ: cùm prorepat, muscu-

lorum aures imitatur foliis. Sed aliam docebimus esse, quæ justius myosotis vocetur. Hæc eadem erat quæ helxine, nisi minor minúsque hirsuta esset. Nascitur in hortis, & maximè in parietibus. Cùm teritur, odorem cucumeris reddit. Usus ejus ad collectiones inflammationesque: & in eadem omnia quæ helxine, sed infirmius. Epiphoris peculiariter imponitur: item verendis, ulceribusque cum farinâ hordeaceâ. Succus ejus auribus infunditur.

IX. Androsaces herba est alba, amara, sine foliis, folliculos in cirris habens, & in his semen: nascitur in maritimis Syriæ maximè. Datur hydropicis drachmis duabus tusa aut decocta in aquâ, vel aceto, vel vino. Vehementer enim urinas ciet. Datur & podagricis illiniturque. Idem effectus & feminis.

X. Androsæmon, sive (ut alii appellaverunt) ascyron, non absimile est hyperico, de quâ diximus, cauliculis majoribus, densioribusque, & magis rubentibus. Folia alba rutæ figurâ: semen papaveris nigri. Comæ tritæ sanguineo succo manant. Odor eis resinofus. Gignitur in vineis. Fere medio autumno effoditur, suspenditurque. Usus ad purgandam alvum tusæ cum semine, potæque matutinò, vel a cenâ, duabus drachmis in aquâ mulsâ, vel vino, vel aquâ purâ, totius potionis sexta-

rio. Trahit bilem : prodest ischiadi maximè. Sed posterâ die capparidis radicem resinæ permixtam devorare oportet drachmæ pondere, iterumque quatruidui intervallo eadem facere : a purgatione autem ipsâ robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. Imponitur & podagris, & ambustis, & vulneribus, cohibens sanguinem.

XI. Ambrosia vagi nominis est, & circa alias herbas fluctuati: unam habet certam, densam, ramosam, tenuem, trium fere palmorum, tertiâ parte radice brevior, foliis rutæ circa imum caulem. In ramulis semen est uvis dependentibus, odore vinoso: quâ de causâ botrys a quibusdam vocatur, ab aliis artemisia. Coronantur illâ Cappadoces. Usus ejus ad ea quæ discuti opus sit.

XII. Anonin quidam ononida malunt vocare, ramosam, similem feno Græco, nisi fruticosior hirsutiorque esset, odore jucunda, post ver spinosa. Estur etiam muriâ condita. Recens verò margines ulcerum erodit. Radix decoquitur in poscâ dolori dentium. Eadem cum melle poscâ, calculos pellit. Comitibus datur in oxymelite decocta ad dimidias.

XIII. Anagyros, quam aliqui acopon vocant, fruticosa est, gravis odore, flore oleris: semen in corniculis non brevibus gignit, simile renibus, quod durefcit per

messes. Folia collectionibus imponuntur, difficulterque parientibus adalligantur, ita ut a partu statim auferantur. Quod si emortuus hæreat, & secundæ mensesque morrentur, drachmâ bibuntur in passo folia. Sic & suspiriosis dantur: & in vino veterere ad phalangiorum morsus. Radix discutientis concoquendisque adhibetur. Semen commanducatum vomitiones facit.

XIV. Anonymos non inveniendo nomen invenit. Adfertur e Scythiâ, celebrata Hicesio, non parvæ auctoritatis medico: item Aristogitoni: in vulneribus præclara, ex aquâ tusa & imposita: pota verò, mammis præcordiisque percussis: item sanguinem exscreantibus. Putavere & bibendam vulneratis. Fabulosa arbitror, quæ adjiciuntur: recente eâ, si uratur, ferrum aut æs ferruminari.

XV. 5. Aparinen aliqui omphacocarpon, alii philanthropon vocant, ramosam, hirsutam, quinis senive in orbem circa ramos foliis per intervalla. Semen rotundum, durum, concavum, subdulce. Nascitur in frumentario agro, aut hortis pratise, asperitate etiam vestium tenaci. Efficax contra serpentes, semine poto ex vino drachmâ: & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex vulneribus reprimunt folia imposita: succus auribus infunditur.

XVI. Arction aliqui arcturum vocant:

similis est verbasco foliis, nisi quòd hirsutiora sunt: caule longo, molli, femine cumini. Nascitur in petrosis, radice tenerâ, albâ, dulcique. Decoquitur in vino ad dentium dolorem, ita ut contineatur ore decoctum. Bibitur propter ischiada & stranguriam: e vino ambustis imponitur, & perionibus. Foventur eadem cum radice femine trito in vino.

XVII. Asplenon sunt qui hemionion vocant, foliis trientalibus multis, radice limosâ, cavernosâ, sicut filicis, candidâ, hirsutâ: nec caulem, nec florem, nec semen habet. Nascitur in petris, parietibusque opacis, humidis: laudatissima in Cretâ. Hujus foliorum in aceto decocto per dies xxx. potu lienem absumi aiunt: & illinuntur autem: eâdem sedante singultus. Non danda feminis, quoniam sterilitatem facit.

XVIII. Asclepias folia ederæ habet, ramos longos, radices numerosas, tenues, odoratas: floris virus grave, semen securidacæ. Nascitur in montibus. Radices torminibus medentur, & contra serpentium ictus, non solùm potu, sed etiam illitu.

XIX. Aster ab aliquibus bubonion appellatur, quoniam inguinum præsentaneum remedium est. Cauliculus foliis oblongis duobus aut tribus: in cacumine capitula stellæ modo radiata. Bibitur & adversus

serpentes. Sed ad inguinum medicinam, sinistra manu decerpi jubent, & juxta cinctus alligari. Prodest & coxendicis dolori adalligata.

XX. Ascyron & ascyroides similia sunt inter se, & hyperico: sed majores habet ramos, quod ascyroides vocatur, ferulaeos, omnino rubentes: capitulis parvis, luteis. Semen in calyculis pusillum, nigrum, resinosum. Comæ tritæ velut cruentant. Quâ de causâ quidam hanc androsæmon vocavere. Usus feminis ad ischiadicos, poti duabus drachmis in hydromelitis sextario. Alvum solvit, bilem detrahit. Illinitur & ambustis.

XXI. Aphaca tenuia admodum folia habet: pusillò altior lenticulâ est. Siliquas majores fert, in quibus terna aut quaterna semina sunt nigriora, madidiora, & minora lenticulâ. Nascitur in arvis. Natura ei ad spissandum efficacior, quàm lenti: reliquo usu eosdem effectus habet. Stomachi alvique fluxiones sistit semen decoctum.

XXII. Alcibion qualis esset herba, apud auctores non reperi. Sed radicem ejus & folia trita, ad serpentis morsum imponi & bibi: folia, quantum manus capiat, trita cum vini meri cyathis tribus, aut radicem drachmarum trium pondere cum vini eâdem mensurâ.

XXIII. *Alectorolophos*, quæ apud nos *crista* dicitur, folia habet similia gallina-
 ceæ *cristæ*, plura, caulem tenuem, semen
 nigrum in siliquis. Utilis tussientibus co-
 cta cum fabâ fresâ, melle addito: & ca-
 ligini oculorum. Solidum semen conjici-
 tur in oculum, nec turbat, sed in se ca-
 liginem contrahit. Mutat colorem, sed ex
 nigro albicare incipit, & intumescit, ac
 per se exit.

XXIV. 6. *Alum* nos vocamus, Græci
fymphyton petræum, simile *cunilæ bubu-
 læ*, foliis parvis, ramis tribus aut quatuor
 a radice, cacuminibus thymi, furculosum,
 odoratum, gustu dulce, salivam ciens, ra-
 dice longâ rutilâ. Nascitur in petris, ideo
petræum cognominatum: utilissimum la-
 teribus, renibus, torminibus, pectori, pul-
 monibus, sanguinem rejicientibus, fauci-
 bus asperis. Bibitur radix trita, & in vi-
 no decocta, & aliquando superlinitur.
 Quin & commanducata sitim sedat, præci-
 puèque pulmonem refrigerat. Luxatis quo-
 que imponitur, & contusis: lenit intera-
 nea. Alvum sistit cocta in cinere, detra-
 ctisque folliculis trita cum piperis novem
 granis, & ex aquâ pota. Vulneribus sanan-
 dis tanta præstantia est, ut carnes quo-
 que, dum coquuntur, conglutinet addi-
 ta: unde & Græci nomen imposuere.
 Ossibus quoque fractis medetur.

XXV. 7. Alga rufa, & scorpionum ictibus.

XXVI. Actæa gravi foliorum odore, caulibus asperis geniculatis, semine nigro, ut ederæ, baccis mollibus, nascitur in opacis & asperis, aquosisque. Datur acetabulo pleno interioribus feminarum morbis.

XXVII. Ampelos agria vocatur herba, foliis duris cineracei coloris, qualem in satis diximus, viticulis longis, callosis, rubentibus, qualiter flos, quem Jovis flammam appellavimus in violis: fert semen simile Punici mali acinis. Radix ejus decocta in aquæ cyathis ternis, additis vini Coi cyathis duobus, alvum solvit leniter, ideoque hydropicis datur. Vulvæ vitia & cutis in facie mulierum emendat. Ischia-dicos quoque uti hac herbâ prodest, tusâ cum foliis, & illitâ cum succo suo.

XXVIII. Absinthii genera plura sunt: Santonicum appellatur a Galliæ civitate: Ponticum a Ponto, ubi pecora pinguescunt illo, & ob id sine felle reperiuntur: neque aliud præstantius: multoque Italicum amarius, sed medulla Pontici dulcis. De usu ejus convenit dicere, herbæ facillimæ, atque inter paucas utilissimæ, præterea sacris populi Romani celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque absinthium bibit: credo, sanitatem præ-

mio dari honorificè arbitratis majoribus. Stomachum corroborat, & ob hoc sapor ejus in vina transfertur, ut diximus. Bibitur & decoctum aquâ, ac postea nocte & die refrigeratum sub dio, decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cælestis aquæ sextariis tribus: oportet & salem addi. Vetustissimè in usu est. Bibitur & madefacti dilutum: ita enim appellatur hoc genus. Diluti ratio, ut (quisquis fuerit modus aquæ) tegatur per triduum. Tritum rarò in usu est, sicut & succus expressi. Exprimitur autem, cùm primùm semen turgescit, madefactum aquâ triduo recens, aut siccum septem diebus. Deinde coctum in æneo vase ad tertias, x. heminis in aquæ sextariis XLV. iterumque percolatum lentè coquitur ad crassitudinem mellis, qualiter ex minore centaureo quæritur succus. Sed hic absinthii inutilis stomacho capitique est, cùm sit ille decocti saluberrimus. Namque adstringit stomachum bilemque detrahit, urinam ciet, alvum emollit, & in dolore sanat: ventris animalia pellit, malaciam stomachi & inflationes discutit cum sili & nardo Gallico, aceto exiguo addito. Fastidia absterget: concoctiones adjuvat. Cruditates detrahit cum rutâ, & pipere, & sale. Antiqui purgationis causâ dabant, cum marinæ aquæ veteris sextario, feminis sex

drachmis, cum tribus falis, & mellis cyatho. Efficaciùs purgat duplicato fale. Diligenter autem teri debet, propter difficultatem. Quidam & in polentâ dedere suprâ dictum pondus, addito pulegio: alii pueris in fico siccâ, ut amaritudinem fallerent. Thoracem purgat cum iride sumptum. In regio morbo crudum bibitur cum apio, aut adianto. Adversùs inflationes, calidum paulatim sorbetur ex aquâ: jocineris causâ cum Gallico nardo: lienis, cum aceto, aut pulte, aut fico sumitur. Adversatur fungis ex aceto: item visco: cicutæ ex vino, & muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Oculorum claritati multum confert. Epiphoris cum passo imponitur, fugillatis cum melle. Aures decoctum ejus vaporis suffitu sanat: aut si manent sanie, cum melle tritum. Urinam ac menses cient tres quatuorve ramuli, cum Gallici nardi radice unâ, cyathis aquæ vi. Menses privatim cum melle sumptum, & in vellere adpositum. Anginis subvenit cum melle & nitro. Epinyctidas ex aquâ sanat: vulnera recentia, priùs quàm aquâ tangantur, impositum: præterea capitis ulcera. Peculiariter ilibus imponitur, cum Cypriâ cerâ, aut cum fico. Sanat & pruritus. Non est dandum in febris. Nauseam maris arcet in navigationibus potum: inguinum tumorem in ven-

trali habitum. Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite positum. Vestibus infertum tineas arcet. Culices ex oleo perunctis abigit: & fumo, si uratur. Atramentum librarium ex diluto ejus temperatum, literas a musculis tuetur. Capillum denigrat absinthii cinis, unguento rosaceoque permixtus.

XXIX. Est & absinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant, probatissimum in Taposiri Ægypti. Hujus ramum Isiaci præferre sollemne habent. Angustius priore, minusque amarum, stomacho inimicum, alvum mollit, pellitque animalia interaneorum. Bibitur cum oleo & sale, aut in farinæ trimestris forbitio-
ne dilutum. Coquitur, quantum manus capiat, in aquæ sextario ad dimidias.

XXX. 8. Balloten alio nomine porrum nigrum Græci vocant, herbam fruticosam, angulosis caulibus nigris, hirsutis foliis vestientibus, majoribus quàm porri, & nigrioribus, graveolentibus. Vis ejus efficax adversus canis morsus, ex sale foliis tritis impositæ: item ad condylomata, coctis cinere, in folio oleris. Purgat & fordida ulcera cum melle.

XXXI. Botrys fruticosa herba est, luteis ramulis. Semen circa totos nascitur: folia cichorio similia. Invenitur in torrentium ripis. Medetur orthopnoicis. Hoc

Cappadoces ambrosiam vocant, alii artemisiam.

XXXII. Brabylla spissandi vim habet cotonei mali modo: nec amplius de eâ tradunt auctores.

XXXIII. Bryon marinum, herba sine dubitatione est, lactucæ foliis similis, rugosa veluti contracta, sine caule, ab unâ radice exeuntibus foliis. Nascitur in scopulis maximè, testisque terrâ comprehensis. Præcipua siccandi ei spissandique vis, & collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipuè podagræ, & quidquid refrigerare opus sit.

XXXIV. Bupleuri semen ad ictus serpentium dari reperio, foverique plagas decoctâ eâ herbâ, adjectis foliis mori aut origani.

XXXV. Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, a nobis describi supervacuum est, cum sit usus ejus ad amatoria tantum. Illud non ab re est dixisse ad detegendas magicas vanitates, electam ad hunc usum conjecturâ, quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milvi exanimati. Eâdem ex causâ & cemos silebitur a nobis.

XXXVI. Calsa duorum generum est. Una similis arô. Nascitur in arationibus. Colligitur antequam inarescat, ususque eodem habet, quos arum. Bibitur quoque
radix

radix hujus ad exinaniendas alvos, mensesque mulierum: item caulis cum foliis in leguminibus decoctus, sanat tenesmon.

XXXVII. Alterum genus ejus quidam anchusam vocant, alii rhinochisiam. Folia lactucæ longiora, plumosa, radice rubrâ, quæ ignes sacros cum flore polentæ sanat imposita: jocineris autem vitia, in vino albo pota.

XXXVIII. Circaea strychno sativo similis est, flore nigro, pusillo, parvo femine, ut milii, nascente in quibusdam corniculis, radice semipedali, triplici ferme, aut quadruplici, albâ, odoratâ, gustûs calidi. Nascitur in apricis faxis. Diluitur in vino, bibiturque ad dolorem vulvæ & vitia. Macerari oportet in sextariis tribus quadrantem radice tusæ, noctem & diem. Trahit eadem potio & secundas: femine lac minuitur, in vino aut mulsâ aquâ pota.

XXXIX. Cirsion cauliculus est duum cubitorum, triangulo similis, foliis spinosis circumdatus. Spinæ molles sunt. Folia bovis linguæ similia, minora, subcandida & in cacumine capitula purpurea, quæ solvuntur in lanugines. Hanc herbam radicemve ejus adalligatam, dolores varicum sanare tradunt.

XL. Cratæogonon spicæ tritici simile est, multis calamis ex unâ radice emicantibus: multorumque geniculorum. Nascitur

in opacis, femine milii, vehementer aspero gustu: quod si bibant ex vino ante cenam tribus obolis in cyathis aquæ totidem, mulier ac vir, ante conceptum diebus XL. virilis sexûs partum futurum aiunt. Est & alia cratæogonos, quæ thelygonos vocatur. Differentia intelligitur lenitate gustûs. Sunt qui florem cratæogoni bibentes mulieres intra XL. diem concipere tradant. Eadem sanant ulcera vetera nigra cum melle: explent sinus ulcerum, & atropa carnosiora faciunt: purulenta expurgant: panos discutunt: podagras collectionesque omnes leniunt, peculiariter mammaram. Theophrastus arboris genus intelligi voluit cratægon, sive cratægona, quam Itali aquifoliam vocant.

XLI. Crocodilion chamæleonis herbæ nigræ figuram habet, radice longâ, æqualiter crassâ, odoris asperi. Nascitur in sabuletis. Pota sanguinem per nares pellit copiosum crassumque, atque ita lienem consumere dicitur.

XLII. Cynosorchin aliqui orchin vocant, foliis oleæ, mollibus, ternis per semipedem longitudinis in terrâ stratis, radice bulbosâ, oblongâ, duplici ordine, superiore quæ durior est, & inferiore quæ mollior. Eduntur ut bulbi cocti, in vineis fere inventæ. Ex his radicibus si majorem edant viri, mares generari dicunt: si mi-

norem feminae, alterum sexum. In Thes-
saliâ molliorem in lacte caprino viri bi-
bunt ad stimulandos coitus, duriorẽ ve-
rò ad inhibendos. Adversantur alter alteri.

XLIII. Chrysolachanum in pineto, la-
ctucæ simile nascitur. Sanat nervos inci-
sos, si confestim imponatur. Et aliud ge-
nus chrysolachani traditur, flore aureo,
foliis oleris. Coctum estur, ut olus molle.
Herbâ hac adalligatâ morbum regium ha-
bentibus, ita ut spectari ab his possit, fa-
nari id malum traditur. De chrysolachano
nec satis dici scio, nec plura reperio. Nam-
que & hoc vitio laboravere proximi uti-
que herbarii nostri, quod ipsi notas ve-
lut vulgares, strictim, & nominibus tan-
tùm indicavere: tamquam coagulo terræ
alvum sisti, stranguriam dissolvi, si bi-
batur ex vino aut aquâ:

XLIV. Cuculi folia trita cum aceto, ser-
pentium ictibus & scorpionum mederi.
Quidam hanc alio nomine strumum ap-
pellant, alii Græcè strychnon: acinos ha-
bet nigros. Ex his cyathus succi cum mul-
si duobus, medetur lumbis: item capitis
dolori cum rosaceo infusus. Ipsa strumis
illita.

XLV. Peculiaris est Alpinis maximè flu-
minibus conferva, appellata a conferrumi-
nando, spongia aquarum dulcium veriùs,
quàm muscus aut herba, villosæ densita-

tis atque fistulosæ. Curatum eâ scio, omnibus fere ossibus confractis, prolapsum ex arbore altâ putatorem, circumdatâ universo corpori, aquam suam aspergentibus, quoties inaresceret, raróque, nec nisi deficientem herbam mutationis causâ solventibus, convaluisse vix credibili celeritate.

XLVI. 9. Cocco Cnidio color cocci, magnitudo grano piperis major, vis ardens. Itaque in pane devoratur ne adurat, cum gulam transit. Huic vis præsentanea contra cicutam.

XLVII. Sistit alvum dipsacos: folia habet lactucæ, bullasque spinosas in dorsi medio, caulem duum cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula ejus binis foliis amplectentibus, concavo alarum sinu, in quo substitit ros falsus. In cacumine capitula sunt echinata spinis. Nascitur in aquis. Sanat rimas sedis. Item fistulas decoctâ in vino radice, usque dum sit crassitudo ceræ, ut possit in fistulas collyrium mitti. Item verrucas omnium generum. Quidam & alarum, quas supra diximus, succum illinunt his.

XLVIII. Dryopteris filici similis, in arboribus nascitur, tenui foliorum subdulcium incisurâ, radice hirsutâ. Vis ei caustica est. Ideo psilothrum est radix tusa: illinitur enim, usque dum sudores evo-

cet: iterumque, & tertio, ita ne sudor abluatur.

XLIX. Dryophonon similis herba est, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circumdati utrimque foliis pollicari amplitudine, qualia oxymyrsines, sed candidioribus mollioribusque, flore candido sambuci. Edunt cauliculos decoctos. Semine verò ejus pro pipere utuntur.

L. Elatine folia habet helxinæ, pusilla, pilosa, rotunda, semipedalibus ramulis quinque senive a radice statim foliosis. Nasctur in segetibus, acerba gustu, & ideo oculorum fluxionibus efficax, foliis cum polenta tritis & impositis, subdito linteolo. Eadem cum lini semine cocta sorbitionis usu dysenteriâ liberat.

LI. Empetros, quam nostri calcifragam vocant, nascitur in montibus maritimis, fere in saxo: quò propius mari fuerit, minus falsa est, potaque bilem trahit, ac pituitas: quò longius magisque terrena, amarior sentitur. Trahit aquam. Sumitur autem in jure aliquo, aut in hydromelite. Vetustate vires perdit. Recens urinas ciet decoctum in aquâ vel tritum, calculosque frangit. Qui fidem promisso huic quaerunt, adfirmant lapillos, qui subfervefiant unâ, rumpi.

LII. Epipactis, ab aliis elleborine vocatur, parva herba, exiguis foliis, jo-

cineris vitii utilissima, & contra venena pota.

LIII. Epimedion caulis est non magnus, ederae foliis denis atque duodenis, numquam florens, radice tenui, nigra, gravi odore. Nascitur in humidis, & huic spissandi refrigerandique natura, feminis cavenda. Folia in vino trita virginum mammas cohibent.

LIV. Enneaphyllon, longa folia novena habet, causticae naturae. Imponitur lana circumdatum, ne urat latus: continuo enim pusulas excitat, lumborum doloribus, & coxendicum utilissimum.

LV. Filicis duo genera, nec florem habent, nec semen. Pterin Graeci vocant, alii blechnon, cujus ex una radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graves odore. Hanc marem existimant. Alterum genus thelypterin Graeci vocant, alii nymphaeam pterin. Est autem singularis, atque non fruticosa, brevior, molliorque, & densior, foliis ad radicem canaliculata. Utriusque radice sues pinguescunt. Folia utriusque lateribus pinnata, unde nomen Graeci imposuere. Radices utriusque longae in obliquum, nigrae, praecipue cum inaruerunt. Siccari autem eas Sole oportet. Nascuntur ubique, sed maxime frigido solo. Effodi debent Vergiliis occidentibus. Usus radice in trimatu tantum, neque antea,

neque postea. Pellunt interaneorum animalia : ex his tænias cum melle : cetera ex vino dulci triduo potæ. Utraque stomacho inutilissima. Alvum solvit : primo bilem trahens, mox aquam : melius tænias cum scammonii pari pondere. Radix ejus duum obolorum pondere ex aquâ, post unius diei abstinentiam bibitur, melle prægustato contra rheumatismos. Neutra danda mulieribus, quoniam gravidis abortum, ceteris sterilitatem facit. Farina earum ulceribus tetrīs inspergitur : jumentorum quoque cervicibus. Folia cimicem necant : serpentem non recipiunt. Ideo substerni utile est in locis suspectis : ustæ etiam fugant nidore. Fecere medici hujus quoque herbæ discrimen. Optima Macedonica est, secunda Cassiopica.

LVI. Femur bubulum appellatur herba, nervis & ipsa utilis, recens in aceto ac sale trita.

LVII. Galeopsis, aut, ut alii, galeobdolon, vel galion, caulem & folia habet urticæ læviora, & quæ gravem odorem trita reddant : flore purpureo. Nascitur circa sepes ac semitas ubique. Folia caulesque duritias & carcinomata sanant, ex aceto, trita & imposita : item strumas. Panos & parotidas discutunt. Ex usu est & decoctæ succo fovere. Putrescentia quoque & gangrænas sanat cum sale.

LVIII. Glaux antiquitus eugalacton vocabatur, cytiso & lenticulæ foliis similis: averfa candidiora. Rami in terram serpunt quini fenive, admodum tenues ab radice. Flosculi purpurei exeunt. Invenitur juxta mare. Coquitur in sorbitione similaginis, ad excitandam ubertatem lactis. Eam qui hauserint, balineis uti convenit.

LIX. 10. Glaucion in Syriâ & Parthiâ nascitur, humilis herba, densis foliis, fere papaveris, minoribus tamen sordidioribusque, odoris tetri, gustûs amari cum adstrictione. Granum habet crocei coloris. Hoc in ollâ fictili luto circumlitum, in clibanis calefaciunt: deinde exempto succum exprimunt ejusdem nominis: usus est & succi & foliorum, si terantur, adversus epiphoras, quæ universæ uno impetu cadunt. Hinc temperatur collyrium, quod medici diaglaucion vocant. Lactis quoque ubertas intermissa restituitur. Sumitur ejus rei causâ ex aquâ.

LX. Glycyside, quam aliqui pæoniam, aut pentorobon vocant, caulem habet duûm cubitorum, comitantibus duobus aut tribus, subrutilum, cute lauri: folia qualia isatis, pinguiora, rotundioraque & minora: semen in siliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. Duo autem genera sunt. Femina existimatur, cujus radicibus ceu balani longiores circiter octo aut sex ad-

hærent. Mas plures habet, quoniam non unâ radice nixus est, palmi altitudine, candidâque: gustu adstringit. Feminæ folia myrrham redolent, & densiora sunt. Nascuntur in silvis. Tradunt noctu effodiendas, quoniam pico Martio impetum in oculos faciente, interdium periculosum sit. Radix verò cum effodiatur, periculum esse ne sedes procidat. Magnâ id vanitate ad ostentationem rei fictum arbitror. Usus in his diversus. Rubra enim grana rubentes menses sistunt, xv. fere pota in vino nigro. Nigra grana vulvis medentur, ex passo aut vino totidem pota. Radix omnes ventris dolores sedat in vino, alvumque purgat: sanat opisthotonum, morbum regium, renes, vesicam: arteriam autem & stomachum decocta in vino: alvumque sistit: estur etiam contra malum mentis: sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Grana nigra auxiliantur & suppressionibus nocturnis, in vino pota, quo dictum est numero. Stomachi verò erosionibus, & esse ea, & illinire prodest. Suppurationes quoque discutuntur: recentes nigro semine, veteres rubro. Utrumque auxiliatur a serpente percussis: & pueris contra calculos, incipiente stranguriâ.

LXI. Gnaphalion alii chamæzelon vocant, cujus foliis albis mollibusque protomento utuntur: sanè & similia sunt. Da-

tur in vino austero ad dysenteriam: ventris solutiones mensesque mulierum sistit. Infunditur autem tenesmo. Illinitur & putrescentibus ulcerum.

LXII. Gallidragam vocat Xenocrates leucacantho similem, palustrem & spinosam, caule ferulaceo, alto, cui summo capite inhæret simile ovo. In hoc crescente æstate vermiculos nasci tradunt, quos pyxide conditos adalligari cum pane brachio ad eam partem, quâ dens doleat, mirèque illico dolorem tolli. Valere non diutiùs anno, & ita si terram non attigerit.

LXIII. Holcus in faxis nascitur siccis. Aristas habet in cacumine, tenui culmo: quale hordeum restibile. Hæc circa caput alligata, vel circa lacertum, educit e corpore aristas. Quidam ob id aristidam vocant.

LXIV. Hyoseris intubo similis, sed minor, & tactu asperior; vulneribus contusa præclarè medetur.

LXV. Holotheon sine duritiâ est, herba ex adverso appellata a Græcis sicut fel dulce, tenuis usque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen; foliis angustis, adstringens gustu. Nascitur in collibus terrenis. Usus ejus ad convulsa, rupta, in vino pota. Vulnera quoque conglutinat. Nam & carnes coguntur, additâ.

LXVI. Hippophæston nascitur in spinis, ex quibus fiunt æneæ fulloniæ, sine cauliculo, sine flore, capitulis tantum inanibus, & foliis parvis, multis, herbacei coloris, radículas habens albas, molles. Succus earum exprimitur æstate, ad solvendam alvum, tribus obolis, maximè in comitialibus morbis, & tremulis, hydropicis. Contra vertigines, orthopnoëas, paralyfes incipientes.

LXVII. II. Hypoglossa folia habet figurâ silvestris myrti, concava, spinosa, & in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis. Capitis dolorem corona ex his imposita minuit.

LXVIII. Hypecoon in fegetibus nascitur, foliis rutæ. Natura ejus eadem quæ papaveris succo.

LXIX. Idææ herbæ folia sunt, quæ oxy-myrsines; adhærent his velut pampini, in quibus flos. Ipsa alvum, mensesque, & omnem abundantiam sanguinis sistit. Spisfandi cohibendique naturam habet.

LXX. Isopyron aliqui phasiolon vocant, quoniam folium, quod est aneso simile, in pampinos torquetur. Capitula sunt in summo caule tenuia, plena feminis melanthii. Contra tussim, & cetera pectoris vitia, ex melle aut aquâ mulsâ; item jocineri utilissima.

LXXI. Lathyrus folia habet multa la-

Etucæ similia, tenuiora germina multa, in quibus semen tuniculis continetur, ut caparis: quæ cum inaruerit, eximuntur grana piperis magnitudine, candida, dulcia, facilia purgatu. Hæc vicena in aquâ purâ aut mulsâ pota hydropicos sanant. Trahunt & bilem. Qui vehementius purgari volunt, cum folliculis ipsis sumunt ea: nam stomachum lædunt. Itaque inventum est, ut cum pisce aut jure gallinacei sumerentur.

LXXII. Leontopetalon, alii rhapeion vocant, folio brassicæ, caule semipedali: alæ multæ, semen in cacumine, in siliquis, ciceris modo: radix rapo similis, grandis, nigra. Nascitur in arvis. Radix aduersatur omnium serpentium generibus ex vino pota: nec alia res celerius proficit. Datur & ischiadicis.

LXXIII. Lycapsos longioribus, quàm lactuca, est foliis, crassioribusque. Caule longo, hirsuto, adgnatis multis cubitalibus, flore parvo, purpureo. Nascitur in campestribus. Illinitur cum farinâ hordeaceâ igni sacro. Sudores in febris movet, succo aquæ calidæ admixto.

LXXIV. Inter omnes herbas lithospermo nihil est mirabilius. Aliqui ægonychon vocant, alii Diospyron, alii Heraeos. Herba quincuncialis fere, foliis duplò majoribus, quàm rutæ, ramulis furcu-

losis, crassitudine junci: gerit juxta folia
 singulas veluti barbularas, & earum in ca-
 cuminibus lapillos candore & rotunditate
 margaritarum, magnitudine ciceris, duri-
 tiâ verò lapideâ. Ipsi, quâ pediculis ad-
 hæreant, cavernulas habent, & intus fe-
 men. Nascitur & in Italiâ, sed laudatissi-
 mum in Cretâ. Nec quidquam inter her-
 bas majore quidem miraculo aspexi. Tan-
 tus est decor, velut aurificum arte alter-
 nis inter folia candicantibus margaritis:
 tam exquisita difficultas lapidis ex herbâ
 nascentis. Jacere atque humi serpere au-
 ctiores tradunt. Ego vulsam, non hæren-
 tem vidi. Iis lapillis drachmæ pondere po-
 tis in vino albo calculos frangi, pellicule
 constat, & stranguriam discuti. Neque in
 aliâ herbarum fides est visu statim, ad
 quam medicinam nata sit; ut ejus spe-
 cies etiam sine auctore visu statim nosci
 possit.

LXXV. Lapis vulgaris juxta flumina fert
 muscum siccum, canum. Hic fricatur al-
 tero lapide, additâ hominis salivâ: illo
 lapide tangitur impetigo. Qui tangit, dicit,

Φεύγετε καθαρίδες, λύκος ἄβελος ἕρμε διώκει.

LXXVI. Limeum herba appellatur a
 Gallis, quâ sagittas in venatu tinguunt me-
 dicamento, quod venenum cervarium vo-

cant. Ex hac in tres modios salivati additur, quantum in unam sagittam addi solet: ita ossa demittitur boum faucibus in morbis. Alligari postea ad præsepia oportet, donec purgentur; insanire enim solent: si sudor insequitur, aquâ frigidâ perfundi.

LXXVII. Leuce Mercuriali similis, nomen ex causâ accepit, per medium folium candidâ lineâ transcurrente: quare mesoleucon quidam vocant. Succus ejus fistulas sanat: ipsa contrita, carcinomata. Fortassis eadem sit, quæ leucas appellatur, contra omnia marina venena efficax. Speciem ejus auctores non tradunt, nec aliud, quàm silvestrem latioribus foliis esse efficaciorē, hanc femine acriorem.

LXXVIII. Leucographis qualis esset, scriptum non reperi: quod eò magis miror, quoniam utilis proditur sanguinem exscreantibus, tribus obolis cum croco: item cœliacis: trita ex aquâ & adposita, profluvio feminarum: oculorum quoque medicamentis, & explendis ulceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis.

LXXIX. 12. Medion folia habet iridis fativæ, caulem tripedalem, & in eo florem grandem, purpureum, rotundum, femine minuto, radicem semipedalem. In saxis opacis nascitur. Radix drachmis duabus cum melle menses feminarum sistit,

ecligmate per aliquot dies sumpto. Semen quoque in vino, tritum, contra abundantiam feminarum datur.

LXXX. Myosota, sive myosotis, lævis herba, caulibus pluribus ab unâ radice, aliquatenus rubentibus, concavis, ab imo foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris, per intervalla adsiduè geminatis, tenuibus cauliculis ex alis prodeuntibus, flore cæruleo. Radix digitali crassitudine multis capillamentis fimbriata. Vis ei septica & exulceratrix, ideoque ægilopas sanat. Tradunt Ægyptii, mensis quem Thothi vocant die XXVIII. fere in Augustum mensem incurrente, si quis hujus herbæ succo inungatur mane priusquam loquatur, non lippiturum eo anno.

LXXXI. Myagros herba ferulacea est foliis similis rubiæ, tripedanea. Semen oleosum, quod & fit ex eo. Medetur oris ulceribus perunctis hoc succo.

LXXXII. Herba, quæ vocatur nyma, tribus foliis longis intubaceis, illita cicatrices ad colorem reducit.

LXXXIII. Natrix vocatur herba, cujus radix evulsa virus hirci redolet. Hac in Piceno a feminis abigunt, quos mirâ persuasione Fatuos vocant: ego species lymphantium hoc modo animorum esse crediderim, qui tali medicamento juventur.

LXXXIV. Odontitis inter feni genera

est, cauliculis densis ab eâdem radice, geniculatis, triangulis, nigris. In geniculis folia parva habet, longiora tamen quàm polygonon. Semen in alis hordeo simile, florem purpureum, pusillum. Nascitur in pratis. Decoctum cauliculorum ejus in vino austero, quantum manus capiat, dentium dolori medetur, ita ut contineatur ore.

LXXXV. Othonna in Syriâ nascitur, similis erucae, perforatis crebrò foliis, flore croci: quare quidam anemonem vocaverunt. Succus ejus oculorum medicamentis convenit. Mordet enim leniter & excalfacit, adstringitque siccando. Purgat cicatrices, & nubeculas, & quidquid obstat. Quidam tradunt lavari, atque ita siccata digerere in pastillos.

LXXXVI. Onosma longa folia habet fere ad tres digitos, in terrâ jacentia, tria, ad similitudinem anchusæ incisa, sine caule, sine flore, sine semine: prægnans si edat eam, aut supergradiatur, abortum facere dicitur.

LXXXVII. Onopordon si comederint asini, crepitus reddere dicuntur. Trahit urinas & menses: alvum sistit: suppurationes & collectiones discutit.

LXXXVIII. Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos: & in iis folia nigra, ceu lini: semenque in ramulis nigrum initio,

dein colore mutato rubescens. Smegmata mulieribus faciunt ex his. Radicum decoctum potum, sanat arquatos. Eadem, priusquam maturescat semen, concisæ, & Sole siccatae, alvum sistunt. Post maturitatem verò collectæ, & in sorbitione decoctæ, rheumatismis ventris medentur, & per se tritæ ex aquâ cælesti bibuntur.

LXXXIX. Oxys folia terna habet. Datur ad stomachum dissolutum. Edunt & qui enterocelen habent.

XC. Polyanthemum, quam quidam bathrachion appellant, causticâ vi exulcerat cicatrices, & ad colorem reducit. Eademque vitiligines concorporat.

XCI. Polygonon Græci vocant, quam nos sanguinariam: non attollitur a terrâ, foliis rutæ, femine graminis: succus ejus infusus naribus supprimit sanguinem: & potus cum vino, cujuslibet partis profluvium excreationesque cruentas inhibet. Qui plura genera polygони faciunt, hanc marem intelligi volunt, appellarique a multitudine feminis, aut densitate fruticis calligonon. Alii polygonaton, a frequentia geniculorum: alii theuthalida, alii carcinethron, alii clema, multi myrtopetalon. Nec non inveniuntur, qui hanc feminam esse dicunt: marem autem majorem, minusque nigram, & geniculis densiorem, femine sub omnibus foliis turgescentem.

Quocumque hæc modo se habeant, vis earum est spissare ac refrigerare. Semina alvum solvunt: largius sumpta urinam cient, rheumatismos cohibent: qui si non fuerent, non profunt. Stomachi fervori folia imponuntur: vesicæ dolori illinuntur, & ignibus sacris. Succus & auribus purulentis instillatur, & oculorum dolori per se. Datur & in febribus ante accessiones duobus cyathis in tertianis, quartanisque præcipuè: item cholericis, dysentericis, & in solutione stomachi. Tertium genus oreon vocatur, in montibus nascens, arundini teneræ simile, uno caule, densis geniculis & in se infarctis, foliis autem piceæ, radicis supervacuæ, inefficacius quàm superiora. Peculiare ischiadicis. Quartum genus silvestre appellatur, pæne arboris modo frutex, radice lignosâ, stirpe cedri rubicundo: ramis sparti, binum palmorum, nigris geniculorum ternis quaternisque articulis. Huic quoque spissandi natura, sapor mali cotonei. Decoquitur in aquâ ad tertias, aut aridi farina inspergitur & oris ulceribus & attritis partibus. Propter gingivarum verò vitia commanducatur. Nomas sistit omniaque quæ serpunt, aut difficilem cicatricem habent. Privatim verò sanat a nive facta ulcera. Herbarii & ad anginas utuntur illâ: & in capitis dolore coronam ex eâ imponunt: & contra epi-

phoras collo circumdant. In tertianis quidam sinistra manu evulsam adalligant: adeo contra profluvia sanguinis, nec ullam magis aridam quam polygonum, fervant.

XCII. Pancration aliqui scillam pusillam appellare malunt, foliis albi lilii, longioribus crassioribusque, radice bulbi magni, colore rufo. Alvum solvit succo, cum farina ervi sumpto: ulcera purgat. Hydropticis splenicisque cum melle datur. Alii decoquunt eam, donec aqua dulcis fiat: eaque effusa radicem terentes digerunt in pastillos Sole siccatos: & postea utuntur ad capitis ulcera, & cetera quae repurganda sunt. Item ad tussim, quantum tribus digitis apprehenderit, in vino dantes, & ad lateris dolores, aut peripneumoniacis ecligmate. Dant & propter ischiada in vino bibendum, & propter tormina, mensesque ciendos.

XCIII. Peplis, quam aliqui fycen, alii meconion, alii mecona aphrode vocant, ex una radice tenui fruticat, foliis rutae paulo latioribus, femine sub foliis rotundo, minore quam candidi papaveris. Inter vites fere colligitur messibus: siccatque cum fructu suo, subjectis, in quae excidat. Hoc potio alvus solvitur, bilis ac pituita detrahitur. Media potio est acetabuli mensura, in aquae mulsae heminis tribus. Et cibus inspergitur obsoniisque ad molliendam alvum.

XCIV. Periclymenos fruticat & ipsa, ex intervallo duo folia habens, subcandida, mollia. In cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficilè vellatur. Nascitur in arvis ac sepibus, convolvens se adminiculis quibuscumque. Semen ejus umbrâ siccatum tunditur & in pastillos digeritur. Hi resoluti dantur in vini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienem: eumque urina cruenta, aut per alvum absumit: quod intelligitur a decimo statim die. Urinam cient, & folia decocta: quæ & orthopnoicis profunt. Partum quoque adjuvant, secundasque pellunt pota simili modo.

XCV. Pelecinum in fegetibus diximus nasci, fruticosam cauliculis, foliis ciceris. Semen in siliquis fert, corniculorum modo aduncis, ternis quaternisque, quale gith novimus, amarum, stomacho utile. Ad datur in antidota.

XCVI. Polygala palmi altitudinem petit, in caule summo foliis lenticulæ, gustu adstricto, quæ pota lactis abundantiam facit.

XCVII. Poterion, aut (ut alii vocant) phrynion, vel neurada, largè fruticat, spinis retorrída, lanugine spissâ, foliis parvis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo, herbacei coloris: feminis nulli usus, sed gustu acuto & odo-

rato. Invenitur in aquosis collibus. Radices habet duas aut tres, binum cubitorum in altitudine, nervosas, candidas, firmas. Circumfoditur autumno, præciso frutice dat succum gummi similem. Radix mira vulneribus sanandis traditur, præcipuèque nervis vel præcisis illita. Decoctum quoque ejus cum melle potum dissolutiones nervorum, & infirmitates, & incisuras juvat.

XCVIII. Phalangites, a quibusdam phalangion vocatur, ab aliis leucanthemon, vel (ut in quibusdam exemplaribus invenio) leucacantha. Ramuli sunt ei nunquam pauciores duobus, in diversa tendentes: flos candidus: lilio rubro similis, femine nigro, lato, ad lenticulæ dimidiæ figuram, multò tenuiore, radice tenui herbacei coloris. Hujus folio, vel flore, vel femine auxiliantur contra scorpionum, phalangiorumque, & serpentium ictus: item contra tormina.

XCIX. Phyteuma quale sit, describere supervacuum habeo, cum sit usus ejus tantum ad amatoria.

C. Phyllon a Græcis vocatur herba in saxosis montibus, femina magis herbacei coloris, caule tenui, radice parvâ, femine rotundo, papaveri simili. Hæc sui sexûs facit partus: mares autem mas femine tantum differens, quod est incipientis olivæ. Utrumque bibitur in vino.

CI. Phellandrion nascitur in palustribus, folio apii. Bibitur semen ejus propter calculos & vesicæ incommoda.

CII. Phalaris thyrsus habet longum, tenuem, ceu calamum, in summo florem inclinatum: semen simile sesamæ. Et hoc calculos frangit, potum ex vino vel aceto cum melle & lacte. Idem & vitia vesicæ sanat.

CIII. Polyrrhizon folia habet myrti, radices multas. Hæ tufæ dantur in vino contra serpentes: profunt & quadrupedibus.

CIV. Proserpinaca herba vulgaris est, eximii adversus scorpiones remedii. Eadem contritâ, additâ muriâ & oleo e manis, anginam eximiè curari tradunt. Præterea & in quantalibet lassitudine recreari defessos, etiam cum obmutuerint, si subjiciatur linguæ. Si devoretur, vomitionem sequi salutarem.

CV. Rhacoma adfertur ex his, quæ supra Pontum sunt, regionibus. Radix costo nigro. similis, minor & rufior paulo, sine odore, calfaciens gustu & adstringens. Eadem trita vini colorem reddit, ad crocum inclinantem. Illita collectiones inflammationesque sedat: vulnera sanat: epiphoras oculorum sedat ex passo illita: insignita cum melle, & alia liventia ex aceto. Farina ejus inspergitur contra ca-

coethe, & sanguinem rejicientibus drachmæ pondere in aquâ. Dysentericis etiam & cœliacis, si feбри carent, in vino: sin aliter, ex aquâ. Faciliùs teritur, nocte antecedente madefacta. Datur & decoctum ejus bibendum duplici mensurâ ad rupta, convulsa, contusis, ex sublimi devolutis. Si pectoris sint dolores, additur piperis aliquid & myrrhæ: si dissolutio stomachi, ex frigidâ aquâ sumitur: sic & in tussi veterere, ac purulentis exscreationibus: item hepaticis, splenicis, ischiadicis: ad renum vitia, suspiria, orthopnoëas. Arteriæ scabritias fanat ex passo, tribus obolis potis trita, aut decoctum ejus. Lichenas quoque ex aceto imposita fanat. Bibitur contra inflationes, & perfrictiones, febres frigidas, singultus, tormina, asperitates, capitis gravitates, melancholicas vertigines, lassitudinum dolores, & convulsiones.

CVI. Circa Ariminum nota est herba, quam resedam vocant. Discutit collectiones, inflammationesque omnes: qui curant ea, addunt hæc verba: » Reseda, morbos reseda: scisne, scisne quis hic pullus egerit radices? nec caput, nec pedes habeant ». Hæc ter dicunt, totiesque despuunt.

CVII. Stœchas in insulis tantum ejusdem nominis gignitur, odorata herba, comâ hyssopi, amara gustu. Menses ciet po-

tu : pectoris dolores levat. Antidotis quoque miscetur.

CVIII. 13. Solanum Græci strychnon vocant, ut tradit Cornelius Celsus. Huic vis reprimendi refrigerandique.

CIX. Smyrnion caulem habet apii, folia latiora, & maximè circà stolones multos, quorum a sinu exsiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, & cum quadam acrimoniâ jucundo, colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis, ut apii: semine rotundo, nigro, quod arefcit incipiente æstate. Radix quoque odorata, gustu acri mordet, succosa, mollis. Cortex ejus foris niger, intus pallidus. Odor myrrhæ habet qualitatem: unde & nomen. Nascitur & in saxosis collibus, & in terrenis. Usus ejus excalfacere, extenuare. Urinam & menses cient folia & radix. Semen alvum sistit. Radix collectiones & suppurationes non veteres, item duritias discutit illita. Prodest & contra phalangia ac serpentes, admixto cachry aut polio, aut melissophyllo, in vino pota: sed particulatim, quoniam universitate vomitionem movet. Quâ de causâ aliquando cum rutâ datur. Medetur tussi & orthopnoæ semen, vel radix: item thoracis, aut lienis, aut renum, aut vesicæ vitiis. Radix autem ruptis, convulsis. Partus quoque adjuvat, & secundas pellit.

pellit. Datur & ischiadicis cum crethmo in vino. Sudores ciet & ructus: ideo inflationem stomachi discutit. Vulnera ad cicatricem perducit. Exprimitur & succus radici, utilis feminis, & thoracis præcordiorumque desideriis: calfacit enim & concoquit, & purgat. Semen peculiariter hydropicis datur potu: quibus & succus illinitur, & malagmata e cortice arido. Et ad obsonia utuntur cum mulso & oleo, & gargo, maximè in elixis carnibus.

Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi. Eadem in dolore stomachi efficax.

CX. Telephion porcilacæ similis est, & caule & foliis. Rami a radice septeni octonive fruticant, foliis crassis, carnosis. Nascitur in cultis, & maximè inter vites. Illinitur lentigini, & cum inaruit, deteritur. Illinitur & vitiligini, ternis fere mensibus, senis horis noctis aut diei: postea farina hordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fistulis.

CXI. Trichomanes adianto similis est, exilius modò, nigriusque, foliis lenticulæ densis, amaris, adversis inter se. Decoctum ejus strangurias sanat in vino albo potum, addito cumino rustico. Illitum cohibet capillos defluentes: aut si effluxerint, reparat. Alopeciasque densat tritum, & in oleo illitum. Sternumenta quoque gustatu movet.

CXII. Thalitruum folia coriandri habet pinguiora paulo, caulem papaveris. Nascitur ubique, præcipuè in campestribus. Medentur ulceribus folia cum melle.

CXIII. Thlaspi duorum generum est: angustis foliis digitali longitudine & latitudine, in terram versis, in cacumine divisis, cauliculo semipedali, non sine ramis: peltarum specie, semine incluso lenticulæ effigie, nisi quòd infringitur, unde nomen. Flos albicat. Nascitur in semitis & sepibus. Semen asperi gustûs, bilem & pituitam utrimque extrahit. Modus sumendi, acetabuli mensurâ. Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem trahat. Menses quoque ciet, sed partus necat. Alterum thlaspi, aliqui Persicum napy vocant, latis foliis, radicibus magnis, & ipsum utile ischiadicorum infusioni. Prodest & inguinibus utrumque. Præcipitur, ut qui colligit, dicat sumere se contra inguina, & contra omnes collectiones, & contra vulnera, unâque manu tollat.

CXIV. Trachinia herba qualis sit, non traditur. Credo & falsum esse promissum Democriti. Portentosum enim est adalligatam triduo absumere lienes.

CXV. Tragonis, sive tragion, nascitur in Cretæ tantum insulæ maritimis, junipero similis, & semine, & folio, & ramis. Succus ejus lacteus in gummi spissa

tus, vel semen, impositione spicula e corpore ejicit: tunditur recens & cum vino illinitur, aut siccae farina cum melle. Eadem lactis abundantiam facit: mammisque unice medetur.

CXVI. Est & alia herba tragos, quam aliqui scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano tritici, acuto cacumine, & ipsa in maritimis nascens. Hujus ramorum X. aut XII. cacumina trita ex vino pota coeliacis, dysentericis, sanguinem exscreantibus, mensiumque abundantiae auxiliantur.

CXVII. Est & tragopogon, quem alii comen vocant, caule parvo, foliis croci, radice longa, dulci, super caulem calyce lato, nigro. Nascitur in asperis, sine usu.


CXVIII. Et de herbis quidem memoriâ digna haecenus accepimus, aut comperimus. In fine earum admonere non ab re judicamus, alias aliis virium ætates esse. Longissimo tempore durat elaterium, ut diximus: chamæleon niger XL. annis: centaureum non ultra XII. Peucedanum sex. Aristolochia ac vitis silvestris anno in umbra servantur. Et animalium quidem exterorum nullum aliud radices a nobis dictas attingit, exceptâ sphondyle, quæ omnes persequitur. Genus id serpentis est.

CXIX. Ne illud quidem dubitatur, om-

nium radicum vim effectusque minui, si fructus prius maturescant: item feminum, antè radice propter succum incisâ. Resolvitur autem omnium vis consuetudine: & desinunt prodesse, cùm opus est, quæ quotidie in usu fuere, æquè quàm nocere. Omnes verò herbæ vehementiores effectu viribusque sunt in frigidis locis, & in aquiloniis: item siccis.

CXX. Sunt & gentium differentia non mediocres: sicut accepimus de tineis lumbricisque, inesse Ægypti, Arabia, Syria, Ciliciæ populis: e diverso Græciæ, Phrygiæ omnino non innasci. Minus id mirum, quàm quòd in confinio Atticæ Bœotiaque Thebanis innascuntur, cùm absint Atheniensibus. Quæ contemplatio aufert rursus nos ad ipsorum animalium naturas, ingenitasque iis vel certiores morborum omnium medicinas. Rerum enim omnium parens, nullum animal ad hoc tantum ut pasceretur, aut alia fatiaret, nasci voluit: artesque salutare inferuit & visceribus, quippe cùm furdis etiam rebus infereret. Tum verò illa animæ auxilia præstantissima ex animâ aliâ esse voluit, contemplatione ante cuncta mirabili.





LIBER XXVIII.

Medicinæ ex animalibus.

I. I. **D**ICTÆ erant naturæ omnium rerum, inter cælum ac terram nascentium, restabantque quæ ex ipsâ tellure fodiuntur, si non herbarum ac fruticum tractata remedia auferrent transversos, ex ipsis animalibus quæ sanantur, repertâ majore medicinâ. Qui ergo dixerimus herbas, & florum imagines, ac pleraque inventu rara ac difficilia, iidem tacebimus quid in ipso homine prosit homini, ceteraque genera remediorum inter nos viventia? Cùm præsertim, nisi carenti doloribus morbisque vita ipsa poena fiat. Minimè verò: omnemque infumemus operam, licet fastidii periculum urgeat: quando ita decretum est, minorem gratiæ, quàm utilitatum vitæ, respectum habere. Quin immo externa quoque, & barbaros etiam ritus indagabimus. Fides tantùm auctores appellet. Quamquam & ipsi consensu propè judicata eligere laboravimus, potiùsque curæ rerum, quàm copiæ institimus. Illud admonuisse perquam necessarium est, dictas

jam a nobis naturas animalium, & quæ cujusque essent inventa: (neque enim minùs profuere medicinas reperiendo, quàm profunt præbendo:) nunc quæ in ipsis auxilièntur indicari, neque illic in totum omiſſa. Itaque hæc eſſe quidem alia, illis tamen connexa.

II. Incipiemus autem ab homine, ipſum ſibi exquirentes, immenſâ ſtatim difficultate obviâ. Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut bibentibus procul ſint comitiales morbi: quod ſpectare facientes in eâdem arenâ feras quoque horror eſt. At hercule illi ex homine ipſo forbere efficaciſſimum putant calidum ſpirantemque, & unâ ipſam animam ex osculo vulnerum, cùm plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas ſit humana. Alii medullas crurum quærunt, & cerebrum infantium. Nec pauci apud Græcos, ſingulorum viſcerum membrorumque etiam ſapores dixere, omnia perſecuti uſque ad reſegmina unguium. Quasi verò ſanitas videri poſſit, feram ex homine fieri, morboque dignum in ipſâ medicinâ: egregiâ hercule frustratione, ſi non proſit. Aſpici humana exta nefas habetur, quid mandi? Quis iſta invenit oſtenta? Tecum enim res erit, everſor juris humani, monſtrorumque artifex, qui primus ea condidiſti: credo, ne vita tui obliſceretur. Quis invenit ſingula membra

humana mandere? quâ conjecturâ indu-
 ctus? Quam potest medicina ista originem
 habuisse? Quis veneficia innocentiora effe-
 cit, quàm remedia? Esto. Barbari exter-
 nique ritus invenerint, etiamne Græci suas
 fecere has artes? Exstant commentationes
 Democriti, ad alia noxii hominis e capite
 ossa plus prodesse: ad alia, amici & hospi-
 tis. Jam verò vi interempti dente gingi-
 vas in dolore scarificari, Apollonius effi-
 cacissimum scripsit: Miletus, oculorum
 suffusiones felle hominis sanari. Artemon
 calvariâ interfecti, neque cremati, propi-
 navit aquam e fonte noctu comitialibus
 morbis. Ex eâdem suspendio interempti
 catapotia fecit, contra canis rabiosi mor-
 fus Antæus. Atque etiam quadrupedes ho-
 mines sanavere, contra inflationes boum,
 perforatis cornibus inferentes ossa huma-
 na: ubi homo occisus esset, aut cre-
 matus, siliginem quæ pernoctasset, suum
 morbis dando. Procul a nobis nostrisque
 literis absint ista. Nos auxilia dicemus,
 non piacula: sicubi lactis puerperarum usus
 mederi poterit, sicubi saliva, tactusve cor-
 poris, ceteraque similia. Vitam quidem non
 adeò expetendam censemus, ut quoquo
 modo trahenda sit. Quisquis est talis, æquè
 moriere, etiam cùm obscenus vixeris, aut
 nefandus. Quapropter hoc primum quis-
 que in remediis animi sui habeat: ex om-

nibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestivâ morte: idque in eâ optimum, quod illam sibi quisque præstare poterit.

III. 2. Ex homine remediorum primum maximæ quæstionis, & semper incertæ est, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum. Quod si verum est, homini acceptum ferri oportere conveniat. Sed viritum sapientissimi cujusque respuit fides. In universum verò omnibus horis credit vita, nec sentit. Quippe victimas cædi sine precatione non videtur referre, aut deos rite consuli. Præterea alia sunt verba impetritis, alia depulsoriis, alia commentationis. Vidimusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus: & ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem: rursusque alium custodem dari qui adtendat: alium verò præponi, qui favori linguis jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur: utrâque memoriâ insigni, quoties ipsæ diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita vel corda, aut geminari victimâ stante. Durat immenso exemplo Deciorum patris filiique, quo se devovère, carmen. Exstat Tucciæ Vestalis incestæ precatio, quâ usa aquam in cribro tulit, anno Urbis DCIX. Boario verò

in foro Græcum Græcamque defossos, aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas vidit. Cujus sacri pre-
 cationem, quâ solet præire quindecimvi-
 rûm collegii magister, si quis legat, pro-
 fectò vim carminum fateatur, ea omnia ad-
 probantibus octingentorum triginta anno-
 rum eventibus. Vestales nostras hodie cre-
 dimus nondum egressa Urbe mancipia fu-
 gitiva retinere in loco pre catione: cum si
 semel recipiatur ea ratio, & deos pre-
 ces aliquas exaudire, aut illis moveri ver-
 bis, confitendum sit. De totâ conjectatio-
 ne prisca quidem nostri perpetuò talia pro-
 didere, difficillimumque ex his, etiam ful-
 mina elici, ut suo loco docuimus.

IV. L. Piso primo Annalium auctor est,
 Tullum Hostilium regem ex Numæ libris
 eodem, quo illum, sacrificio Jovem cælo
 devocare conatum, quoniam parum rite
 quædam fecisset, fulmine ictum. Multi ve-
 rò magnarum rerum fata & ostenta ver-
 bis permutari. Cùm in Tarpeio fodientes
 delubro fundamenta, caput humanum in-
 venissent, missis ob id ad se legatis, Etru-
 riæ celeberrimus vates Olenus Calenus
 præclarum id fortunatumque cernens, in-
 terrogatione in suam gentem transferre ten-
 tavit, scipione priùs determinatâ templi
 imagine in solo ante se: « Hoc ergo di-
 citis Romani? Hic templum Jovis opti-

» mi maximi futurum est : hîc caput in-
 » venimus » : constantissimâ Annalium ad-
 firmatione, transiturum fuisse fatum in Etru-
 riam, ni præmoniti a filio vatis legati Ro-
 mani respondissent : « Non planè hîc, fed
 » Romæ inventum caput dicimus ». Ite-
 rum id accidisse tradunt, cùm in fastigium
 ejusdem delubri præparatæ quadrigæ ficti-
 les in fornace crevissent : & iterum simi-
 li modo retentum augurium. Hæc satis
 sint, exemplis ut appareat, ostentorum vi-
 res & in nostrâ potestate esse : ac prout
 quæque accepta sint, ita valere.

In augurum certè disciplinâ constat, ne-
 que diras, neque ulla auspicia pertinere
 ad eos, qui quamque rem ingredientes, ob-
 servare se ea negaverint : quo munere di-
 vinæ indulgentiæ majus nullum est. Quid?
 non & legum ipsarum in duodecim tabu-
 lis verba sunt? « Qui fruges excantasset ».
 Et alibi, « Qui malum carmen incantaf-
 » set ». Verrius Flaccus auctores ponit,
 quibus credat, in oppugnationibus ante om-
 nia solitum a Romanis sacerdotibus evo-
 cari deum, cujus in tutelâ id oppidum ef-
 set : promittique illi eundem, aut amplio-
 rem apud Romanos cultum. Et durat in
 pontificum disciplinâ id sacrum : constat-
 que ideo occultatum, in cujus dei tutelâ
 Roma esset, ne qui hostium simili modo
 agerent.

Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ovorum, ut exforbuerit quisque, calyces, cochlearumque, protinus frangi, aut eosdem cochlearibus perforari. Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximéque Virgilio incantamentorum amatoria imitatio. Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam serpentes ipsas recanere: & hunc unum illis esse intellectum, contrahique Marforum cantu, etiam in nocturnâ quiete. Etiam parietes incendiolorum deprecationibus conscribuntur. Neque est facile dictu, externa verba atque ineffabilia abrogent fidem validiùs an Latina inopinata, & quæ irridicula videri cogit animus, semper aliquid immensum expectans, ac dignum deo movendo, immo verò quod numini imperet. Dixit Homerus, profluvium sanguinis vulnerato femine Ulysssem inhibuisse carmine: Theophrastus, ischiadicos sanari. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliare, M. Varro podagris. Cæsarem dictatorem post unum ancipitem vehiculi casum, ferunt semper, ut primùm confedisset, id quod plerosque nunc facere scimus, carmine ter repetito securitatem itinerum aucupari solitum.

V. Libet hanc partem singulorum quoque conscientiam coarguere. Cur enim primum anni incipientis diem lætis preca-

tionibus invicem faustum ominamur? Cur publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera legimus? Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus alii, Græcam Nemesin invocantes: cujus ob id Romæ simulacrum in Capitolio est, quamvis Latinum nomen non sit? Cur ad mentionem defunctorum, testamur memoriam eorum a nobis non sollicitari? Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus: idque in febribus dierum observatione intelligitur? Cur ad primitias pomorum, hæc vetera esse dicimus, alia nova optamus? Cur sternuentes salutamus? quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum (ut constat) hominum, in vehiculo exegisse tradunt. Et aliqui nomine quoque consalutare, religiosius putant. Quin & absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se, receptum est. Attalus adfirmat, scorpione viso, si quis dicat « duo », cohiberi, nec vibrare ictus. Et quoniam scorpio admonuit, in Africâ nemo destinat aliquid, nisi præfatus « Africam ». In ceteris verò gentibus, deos obtestatur, « ut velint ». Nam si mensa adsit, anulum ponere tralatitium videmus. Quin etiam multas religiones pollere manifestum est. Alius salivâ post aurem digito relatâ, sollicitudinem animi propitiat. Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jube-

mur. In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus: quod in lævum fecisse, Galliæ religiosius credunt. Fulgetras poppyfimis adorare, consensus gentium est.

Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensas profusis abominamur. Recedente aliquo ab epulis, simul verri solum: aut bibente convivâ, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur. Servii Sulpicii principis viri commentatio est, quamobrem mensa relinquenda non sit: nondum enim plures, quàm convivæ numerabantur. Nam sternumento revocari ferculum mensamve, si non postea gustetur aliquid, inter diras habetur, aut omnino non esse. Hæc instituere illi, qui omnibus negotiis horisque interesse credebant deos: & ideo placatos etiam vitiis nostris reliquerunt. Quin & repente conticescere convivium adnotatum est, non nisi in pari præsentium numero: isque famæ labor est, ad quemcumque eorum pertinens. Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur, utique per mensas: vetabantque munditiarum causâ deflare. Et sunt condita auguria, quid loquenti cogitante id acciderit: inter execratissima, si pontifici accidat dicis causâ epulanti. In mensâ utique id reponi, adolerique ad Larem, piatio est. Medicamenta, priusquam adhibeantur, in mensâ for-

tè deposita, negant prodesse. Ungues resecari nundinis Romanis tacenti, atque a digito indice, multorum pecuniæ religiosum est. Capillum verò contrectari, contra defluvia ac dolores capitis XVII. Lunâ, atque XXIX. Paganâ lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fusos, aut omnino detectos ferant, quoniam adverteatur id omnium spei, præcipuèque frugum. M. Servilius Nonianus princeps civitatis, non pridem in metu lippitudinis, priusquam ipse eam nominaret, aliusve ei prædiceret, duabus literis Græcis P & A, chartam inscriptam, circumligatam lino, subnectebat collo: Mucianus ter consul, eâdem observatione viventem muscam in linteolo albo: his remediis carere ipsos lippitudine prædicantes. Carmina quædam existant contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambusta, quædam etiam experta: sed prodendo obstat ingens verecundia, in tantâ animorum varietate. Quapropter de his, ut libitum cuique fuerit, opinetur.

VI. 3. Hominum monstrificas naturas & veneficos aspectus diximus in portentis gentium, & multas animalium proprietates, quæ repeti supervacuum est. Quorumdam hominum tota corpora profunt, ut ex his familiis quæ sunt terrori serpentibus, tæ-

Etu ipso levant percussos, suctuve modico. Quorum e genere sunt Pfylli, Marsique, & qui Ophiogenes vocantur in insulâ Cypro: ex quâ familiâ legatus Evagon nomine, a consulibus Romæ in doliolum serpentium coniectus experimenti causâ, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum ejus familiæ est, si modò adhuc durat, vernis temporibus odoris virus. Atque eorum sudor quoque medebatur, non modò saliva. Nam in insulâ Nili Tentyri nascentes tanto sunt crocodilis terrori, ut vocem quoque eorum fugiant. Horum omnium generum in suâ repugnantia intervenit quoque mederi constat: sicuti adgravari vulnera introitu eorum, qui umquam fuerint serpentium, canisve dente læsi. Iidem gallinarum incubitus, pecorum fetus, abortu vitiant. Tantum remanet virus, excepto semel malo, ut venefici fiant venena passi. Remedio est, ablui prius manus eorum, aquâque illâ eos, quibus medearis, inspergi. Rursus a scorpione aliquando percussi, numquam postea a crabronibus, vespis, apibusve feriuntur. Minus miretur hoc qui sciat vestem a tineis non attingi, quæ fuerit in funere: serpentes ægre præterquam lævâ manu extrahi: e Pythagoræ inventis non temere fallere, impositivorum nominum imparem vocabulorum numerum, clauditates, oculive orbi-

tatem, ac similes casus dextris adsignare partibus, parem lævis.

4. Ferunt difficiles partus statim solvi, cum quis tectum, in quo sit gravida, transfuderit lapide, vel missili, ex his, qui tria animalia singulis ictibus interfecerint, hominem, aprum, ursum. Probabilius id facit hasta velitaris, evulsa e corpore hominis, si terram non attigerit. Eisdem enim illata effectus habet. Sic & sagittas corpore eductas, si terram non attigerint, subjectas cubantibus, amatorium esse, Orpheus & Archelaus scribunt. Quin & comitiales morbum sanari cibo e carne feræ occisæ eodem ferro, quo homo interfectus sit. Quorundam partes medicæ sunt, sicuti diximus de Pyrrhi regis pollice. Et Elide solebat ostendi Pelopis costa, quam eburneam adfirmabant. Nævus in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi.

VII. Hominum verò in primis jejunam salivam contra serpentes præsidio esse, docuimus. Sed & alios efficaces ejus usus recognoscat vita. Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus. Simili modo & fascinationes repercutimus, dextræque claudicantis occursum. Veniam quoque a deis spei alicujus audaciores petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione ternâ despuere deprecatione, in omni medicinâ mos est, atque ita effectus

adjuvare : incipientes furunculos ter præsignare jejunâ salivâ. Mirum dicemus, sed experimento facile : si quem pœniteat ictûs eminus cominusve illati, & statim exspuat mediam in manum, quâ percussit, levatur illico percussus a pœnâ. Hoc sæpe delumbatâ quadrupede adprobatur, statim a tali remedio correcto animalis ingressu. Quidam verò adgravant ictus, ante conatum simili modo salivâ in manu ingestâ. Credamus ergo lichenas leprasque jejunæ illitu adsiduo arceri : item lippitudines, matutinâ quotidie velut inunctione : carcinomata, malo terræ subactis : cervicis dolorem, salivâ jejuni dextrâ manu ad dextrum poplitem relatâ, lævâ ad sinistrum : si quod animal aurem intraverit, & inspuatur, exire. Inter amuleta est editæ quemque urinæ inspuere : similiter in calciamentum dextri pedis, antequam induatur : item cùm quis transeat locum, in quo aliquod periculum adierit. Marcion Smyrnæus, qui de simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit : item rubetas, aliasque ranas : Opilius, serpentes, si quis in hiatum earum exspuat. Salpe, torporem fedari quocumque membro instupente, si quis in sinum exspuat : aut si superior palpebra salivâ tangatur. Nos si hæc, & illa credamus rite fieri : extranei in-

terventu, aut si dormiens spectetur infans, a nutrice terna adspui: quamquam illos religione tutatur & Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens, defendit medicus invidia: jubetque eosdem respicere similis medicina linguæ, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriæ carnifex.

VIII. Morsus hominis inter asperrimos quoque numeratur. Medentur sordes ex auribus: ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus serpentiumque, statim impositæ. Melius e percussi auribus profunt: ita & redivias sanari. Serpentium verò ictum, contusi dentis humani farinâ.

IX. Capillus puerorum, qui primùm decisus est, podagræ impetus dicitur levare circumligatus: & in totum impubium impositus. Virorum quoque capillus, canis morsibus medetur ex aceto: & capitum vulneribus ex oleo aut vino. Si credimus, a revulso cruci, quartanis. Combustus æquè capillus, carcinomati. Pueri qui primus ceciderit dens, ut terram non attingat, inclusus in armillam, & adsiduè in brachio habitus, muliebrium locorum dolores prohibet. Pollex in pede præligatus proximo digito, tumores inguinum sedat. In manu dextrâ duo medii lino levi-

ter colligati, destillationes atque lippitudines arcent. Quin & ejectus lapillus calculoso, alligatusque supra pubem levare ceteros dicitur, ac jocineris etiam dolores: ac celeritatem partûs facere. Addidit Granius, efficaciorē ad hoc esse ferro exemptum. Partus adcelerat vicinos, ex quo quæque conceperit, si cinctu suo soluto feminam cinxerit, dein solverit, adjectâ precatōne, « se vinxisse, eundem » & soluturum », atque abierit.

X. Sanguine ipsius hominis, ex quacumque parte emisso, efficacissimè anginam illini tradunt Orpheus & Archelaus: item ora, comitali morbo lapsorum: exsurgere enim protinus. Quidam, si pollices pedum pungantur, exque his guttæ referantur in faciem: aut si virgo dextro pollice attingat: hac conjecturâ censentes virgines carnes edendas. Æschines Atheniensis excrementorum cinere anginis medebatur, & tonsillis, uvisque, & carcinomatis. Hoc medicamentum vocabat botryon. Multa genera morborum primo coitu solvuntur, primoque feminarum mense. Aut si hoc non contingit, longinqua fiunt, maximèque comitiales. Quin & a serpente ac scorpione percussos coitu levare produnt: verum feminas Venere eâ lædi. Oculorum vitia fieri negant, nec lippire eos, qui cum pedes lavant, aquâ inde ter oculos tangant.

XI. Immaturâ morte raptorum manu, strumas, parotidas, guttura, tactu sanari adfirmant. Quidam verò cūjuscumque defuncti, dumtaxat sui sexûs, lævâ manu aversâ. Et e ligno fulgure ic̄to, rejectis post terga manibus demorderi aliquid, & ad dentem qui doleat, admoveri, remedio esse produnt. Sunt qui præcipiant dentem suffiri dente hominis sui sexûs, & eum qui caninus vocetur, insepulto exemptum adalligari. Terram e calvariâ, psilothrum esse palpebrarum tradunt. Herbâ verò, si qua ibi genita sit, commanducatâ, dentes cadere. Ulcera non serpere osse hominis circumscripta. Alii e tribus puteis pari mensurâ aquas miscent, & prolibant novo fictili: reliquum dant in tertianis accessu febrium bibendum. Iidem in quartanis fragmentum clavi a cruce, involutum lanâ, collo subnectunt: aut spartum e cruce: liberatoque condunt cavernâ, quam Sol non attingat.

XII. Magorum hæc commenta sunt: ut cotem, quâ ferramenta sæpe exacuta sint, subjectam ignari cervicalibus, de veneficio deficientis, evocare indicium, ut ipse dicat quid sibi datum sit, & ubi, & quo tempore: auctorem tamen non nominare. Fulmine utique percusso, circumactum in vulnus hominem, loqui protinus constat. Inguinibus medentur aliqui, licium telæ

detractum alligantes novenis septenisve nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguini adalligantes. Licio & clavum aliudve, quod quis calcaverit, alligatum ipsos jubent gerere, ne sit dolori vulnus. Verrucas avellunt a vicesimâ Luna, in limitibus supini ipsam intuentes, ultra caput manibus porrectis, & quidquid adprehendêre, eo fricantes. Clavum corporis, cùm cadit stella, si quis dstringat, vel citò sanari aiunt, cardinibus ostiorum aceto adfuso: lutum fronti illitum, capitis dolorem sedare: item laqueum suspendiosi circumdatum temporibus. Si quid e pisce hæserit faucibus, in aquam demissis frigidam pedibus, cadere. Si verò ex aliis ossibus, impositis capiti ex eodem vase ossiculis. Si panis hæreat, ex eodem in utramque aurem addito pane.

XIII. Quin & fordes hominis in magnis fecere remediis quæstuosorum gymnasia Græcorum: quippe ea strigmenta molliunt, calfaciunt, discutiunt, complent, sudore & oleo medicinam facientibus. Vulvis inflammatis, contractisque admoventur. Sic & menses cient: sedis inflammationes & condylomata leniunt: item nervorum dolores, luxata, articulorum nodos. Efficaciora ad eadem, strigmenta a balineis, & ideo miscentur suppuratoriis medicamentis. Nam illa, quæ sunt e ceromate, permixta cœ-

no, articulos tantùm molliunt, calfaciunt, discutiunt efficacius: sed ad cetera minùs valent. Excedit fidem impudens cura, quâ sordes virilitatis cóntra scorpionum ictus singularis remedii, celeberrimi auctores clamant. Rursus in feminis, quas infantium alvo editas in utero ipso, contra sterilitatem subdi censent: meconium vocant. Immo etiam ipsos gymnasiolorum rasere parietes: & illæ quoque sordes excalfactoriam vim habere dicuntur: panos discutiunt. Ulceribus senum puerorumque, & desquamatis ambustisve illinuntur.

XIV. Eò minùs omitti convenit ab animo hominis pendentes medicinas. Abstinerere cibo omni, aut potu, aliàs vino tantùm aut carne, aliàs balineis, cùm quid eorum postulet valetudo, in præsentissimis remediis habetur. His remediis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, ungui, fricari cum ratione. Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit: multa adimit corpus, auget modica. In primis verò prodest ambulatio, gestatio & ea pluribus modis. Equitatio stomacho & coxis utilissima: phthisi navigatio: longis morbis locorum mutatio. Item somno mederi sibi, aut lectulo, aut rarâ vomitione. Supini cubitus oculis conducunt, at proni tussibus, in latera adversùm destillationes. Aristoteles & Fabianus plurimùm somniari circa

ver & autumnum tradunt, magisque supino cubitu, at prono nihil. Theophrastus celerius concoqui dextri lateris incubitu, difficilius a supinis. Sol quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, sicut linteorum strigiliumque vehementia: perfundere caput calidâ ante balnearum vaporationem, & postea frigidâ saluberrimum intelligitur. Item præsumere cibis, & interponere frigidam, ejusdemque potu somnos antecedere, & si libeat, interrumpere. Notandum, nullum aliud animal calidos potus sequi, ideoque non esse naturales. Mero ante somnos colluere ora, propter halitus: frigidâ matutinis impari numero ad cavendos dentium dolores: item postcâ oculos contra lippitudines, certa experimenta sunt: sicut totius corporis valetudini in varietate victûs inobservatâ.

5. Hippocrates tradit non prandentium extrâ celerius fenescere. Verùm id remediis cecinit, non epulis: quippe multò utilissima est temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat: ultimoque probro manus in cibis triumphali seni dejiciebatur, vel in Capitolio epulanti, pudendâ re, servo suo facilius parere, quàm sibi.

XV. 6. Sternumenta pinnâ gravedinem emendant: & si quis mulæ nares, ut tradunt, osculo attingat: sternumenta &

singultum. Ob hoc Varro suadet palmam alternâ manu scalpere. Plerique anulum e sinistra in longissimum dexteræ digitum transferre, aut in aquam ferventem manus immergere. Theophrastus senes laboriosius sternuere dicit.

XVI. Venerem damnavit Democritus, ut in quâ homo alius exsiliret ex homine. Est hercule raritas ejus utilior. Athletæ tamen torpentes restituuntur Venere: vox revocatur, cum e candidâ declinat in fuscâ. Medetur & lumborum dolori, oculorum hebetationi, mente captis, ac melancholicis.

XVII. Adsidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, veneficium est: idque compertum tradunt Alcmenâ Herculem pariente. Pejus, si circa unum ambove genua. Item poplites alternis genibus imponi. Ideo hæc in conciliis ducum potestatumve fieri vetuere majores, velut omnem actum impedientes. Vetuere & facris, votivæ, simili modo interesse. Capita autem aperiri aspectu magistratum, non venerationis causâ jussere, sed (ut Varro auctor est) valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. Cum quid oculo incidit, alterum comprimi prodest. Cum aqua dextræ auriculæ, sinistro pede exsultare, capite in dextrum humerum devexo: invicem e diversâ

e diversâ aure. Si tussim concitet saliva, in fronte ab alio adflari. Si jacet uva, a vertice morfu alterius suspendi. In cervicis dolore poplites fricare, aut cervicem in poplitum. Pedes in humo deponi, si nervi in his cruribusve tendantur in lectulo. Aut si in lævâ parte id accidat, sinistrae plantæ pollicem dextrâ manu adprehendi. Item e diverso. Extremitates corporis vel aurium perstringi contra horrores corporis, sanguinemve narium immodicum. Lino vel papyro principia genitalium: femur medium, ad cohibenda urinæ profluvia. In stomachi solutione pedes pressare, aut manus in ferventem aquam dimittere. Jam & sermoni parci, multis de causis salutare est. Triennio Mæcenatem Melissum accepimus silentium sibi imperavisse, a convulsione reddito sanguine. Nam everfos, scandentesque ac jacentes, si quid ingruat, contraque ictus spiritum cohibere singularis præsidii est: quod inventum esse animalis docuimus. Clavum ferreum defigere, in quo loco primùm caput defixerit corruens morbo comitiali, absolutorium ejus mali dicitur. Contra renum, aut lumborum, vesicæque cruciatus, in balnearum foliis pronos urinam reddere mitigatorium habetur. Vulnera nudo Herculis præligare, mirum quantum ocior medicina est. Atque etiam quotidiana

ni cinctus tali nodo, vim quamdam habere utilem dicuntur: quippe cum Hercules eum prodiderit. Numerum quoque quaternarium Demetrius condito volumine, & quare quaterni cyathi sextariive non essent potandi. Contra lippitudinem retro aures fricare prodest, & lacrimosis oculis frontem. Augurium ex homine ipso est non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant.

XVIII. Magna & urinæ non ratio solum, sed etiam religio apud auctores invenitur, digesta in genera. Spadonum quoque ad fecunditatis beneficia. Verum ex his quæ referre fas sit, impubium puero-
rum contra salivas aspidum, quas ptyadas vocant, quoniam venena in oculos hominum exspuant: contra oculorum albugines, obscuritates, cicatrices, argema, palpebras, & cum ervi farinâ contra adustiones: contra aurium pura, vermiculosque, si decoquatur ad dimidias partes cum porro capitato novo fictili. Vaporatio quoque ea menses feminarum ciet. Salpe fovet illâ oculos firmitatis causâ: illinit Sole usta, cum ovi albumine, efficacius struthiocameli, binis horis. Hac & atramenti lituræ abluuntur. Virilis podagris medetur, argumento fullonum, quos ideo tentari eo morbo negant. Veteri miscetur cinis ostreorum, adversus eruptiones in cor-

pore infantium, & omnia ulcera manan-
 tia. Ea exesis, ambustis, sedis vitiis, rha-
 gadiis & scorpionum ictibus illinitur. Ob-
 stetricum nobilitas non alio succo effica-
 cius curari pronuntiavit corporum pruri-
 tus: nitro addito ulcera capitum, porri-
 gines, nomas, præcipuè genitalium. Sua
 cuique autem (quod fas sit dixisse) maxi-
 mè prodest, confestim per se, canis mor-
 sui, echinorumque spinis inhærentibus,
 & in spongiâ lanisve imposita: aut adver-
 sùs canis rabidi morsus, cinere ex eâ sub-
 acto: contraque serpentium ictus. Nam
 contra scolopendras mirum proditur, ver-
 tice tacto urinæ suæ guttâ, liberari proti-
 nus læsos.

XIX. Auguria valetudinis ex eâ tradun-
 tur. Si mane candida, dein rufa sit: illo
 modo concoquere, hoc concoxisse signi-
 ficatur. Mala signa rubræ, pessima nigræ:
 mala bullantis, & crassæ: in quâ quod sub-
 sidit, si album est, significat circa articu-
 los, aut viscera dolorem imminere. Ea-
 dem viridis, morbum viscerum: pallida,
 bilis: rubens, sanguinis. Mala, & in quâ
 veluti furfures, atque nubeculæ apparent.
 Diluta quoque alba vitiosa est: mortifera
 verò crassa, gravi odore: & in pueris te-
 nuis ac diluta. Magi vetant ejus causâ con-
 tra Solem Lunamque nudari, aut umbram
 cujusquam ab ipso respergi. Hesiodus jux-

ta obstantia reddi suadet, ne deum aliquem nudatio offendat. Osthanes contra mala medicamenta omnia promisit auxiliari, matutinis horis suam cuique instillatam in pedem.

XX. 7. Quæ ex mulierum corporibus traduntur, ad portentorum miracula accedunt, ut sileamus divisos membratim in scelera abortus, mensium piacula, quæque alia non obstetrices modò, verùm etiam ipsæ meretrices prodidere. Capilli si crementur odore, serpentes fugari. Eodem odore vulvæ morbo strangulatas respirare. Cinere eo quidem, si in testâ sint cremati, vel cum spumâ argenti, scabritias oculorum ac pruriginis emendari: item verrucas, & infantium ulcera cum melle. Capitis quoque vulnera, & omnium ulcerum sinus, addito melle ac thure. Panos, podagras, cum adipe suillo, sacrum ignem, sanguinemque sisti illito, & fornicationes corporum.

XXI. De lactis usu convenit, dulcissimum esse mollissimumque, & in longâ febre, cœliacisque utilissimum, maximè ejus quæ jam infantem removerit. Et in malaciâ stomachi, in febribus, rosionibusque efficacissimum experiuntur. Item mammarum collectionibus cum thure, oculo ab ictu cruore suffuso, & in dolore, aut epiphoris, si immulgeatur, plurimùm pro-

dest: magisque cum melle & narcissi fuc-
co, aut thuris polline. Semperque in om-
ni usu efficacius ejus, quæ marem enixa
sit: multoque efficacissimum ejus, quæ
geminos mares: & si vino ipsa cibisque
acrioribus abstineat. Mixto præterea ovo-
rum candido liquore, madidâque lanâ fron-
tibus impositum, fluxiones oculorum sus-
pendit. Nam si rana salivâ suâ oculum as-
perferit, præcipuum est remedium. Et con-
tra morsum ejusdem bibitur, instillatur-
que. Eum qui simul matris filiæque lacte
inunctus sit, liberari omni oculorum me-
tu in totam vitam adfirmant. Aurium quo-
que vitiiis medetur, admixto modicè oleo:
aut si ab ictu doleant, anserino adipe te-
pefactum. Si odor gravior sit, ut plerum-
que fit longis vitiiis, diluto melle lanâ in-
cluditur. Et contra morbum regium in ocu-
lis relictum, instillatur cum elaterio. Pe-
culiariter valet potum contra venena, quæ
data sunt e marino lepore, buprestique,
& ut Aristoteles tradit, dorycnion. Et
contra insaniam, quæ facta sit hyoscya-
mi potu. Podagris quoque jubent illini cum
cicutâ. Alii cum œsypo & adipe anseri-
no: qualiter etiam vulvarum doloribus im-
ponitur. Alvum etiam sistit potum, ut Ra-
birius scribit, & menses ciet. Ejus verò
quæ feminam enixa sit, ad vitia tantum
in facie sananda prævalet. Pulmonum quo-

que incommoda lacte mulieris sanantur: cui si admisceatur impubis pueri urina, vel mel Atticum, omnia singulorum cochlearium mensurâ, murmura quoque aurium ejici invenio. Ejus quæ marem peperit lacte gustato, canes rabiosos fieri negant.

XXII. Mulieris quoque salivam jejunæ potentem dijudicant oculis cruentatis. Et si contra epiphoras, ferventes anguli oculorum subinde madefiant: efficacius, si cibo vinoque se pridie ea abstinuerit. Invenio & fasciâ mulieris alligato capite, dolores minui.

XXIII. Post hæc nullus est modus. Jam primùm abigi grandines turbineque contra fulgura, ipsâ in mense connudatâ, sic averti violentiam cæli: in navigando quidem tempestates etiam sine menstruis. Ex ipsis verò mensibus, monstrificis aliàs, uti suo loco indicavimus, dira & infanda vaticinantur: e quibus dixisse non pudeat, si in defectus Lunæ Solisve congruat vis illa, irremediabilem fieri: non segnius & in silente Lunâ, coitusque tum maribus exitiales esse atque pestiferos. Purpuram quoque ab his eo tempore pollui. Tantò vim esse majorem. Quocumque autem alio menstruo, si nudatæ segetem ambient, erucas, ac vermiculos, scarabæosque, ac noxia alia decidere. Metrodorus Scepsius

in Cappadociâ inventum prodit, ob multitudinem cantharidum. Ire ergo per media arva, reiectis super clunes vestibus. Alibi fervatur, ut nudis pedibus eant, capillo cinctuque dissoluto. Cavendum ne id oriente Sole faciant: fementem enim arefcere. Item novellas vites ejus tactu in perpetuum lædi: rutam & ederas, res medicatissimas, illico mori. Multa diximus de hac violentiâ. Sed præter illa certum est, apes tactis alveariis fugere: lina, cùm coquantur, nigrescere: aciem in cultris tonforum hebetescere: æs contactum grave virus odoris accipere & æruginem, magis si decrefcente Lunâ id accidat: equas, si sint gravidæ, tactas abortum pati. Quin & aspectu omnino, quamvis procul visas, si purgatio illa post virginitatem prima sit, aut in virgine ætatis sponte. Nam bitumen in Judæâ nascens, solâ hac vi superari filo vestis contactæ, docuimus. Ne igne quidem vincitur, quo cuncta: cinisque etiam ille, si quis aspergat lavandis vestibus, purpurâ mutat, florem coloribus adimit, ne ipsis quidem feminis malo suo inter se immunibus. Abortum facit illitus, aut si omnino prægnans supergrediatur. Quæ Lais & Elephantis inter se contraria prodidere de abortivis, carbone e radice brassicæ, vel myrti, vel tamaricis in eo sanguine extincto: item asinas non concipere tot an-

nis, quot grana hordei contacta ederint : quæque alia nuncupavere monstrifica, aut inter ipsas pugnancia : cum hæc fecunditatem fieri iisdem modis, quibus illa sterilitatem, prænuntiaret, melius est non credere. Bytus Dyrrachenus hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem averfa rursus contuentibus : omnemque vim talem resolvi, si mullum piscem secum habeant. Multi verò inesse etiam remedia tanto malo aiunt : podagras illini, strumas & parotidas, panos, sacros ignes, furunculos, epiphoras tractatu earum mulierum leniri. Lais & Salpe canum rabiosorum morsus, & tertianas quartanasque febres, menstruo in lanâ arietis nigri, argenteo brachiali incluso. Diotimus Thebanus, vel omnino vestis ita infectæ portiunculâ, ac vel licio, brachiali insertâ. Sotira obstetrix, tertianis quartanisque efficacissimum dixit plantas ægri subterlini : multoque efficacius ab ipsâ muliere, & ignorantibus. Sic & comitiales excitari. Icetidas medicus quartanas coitu finire, incipientibus dumtaxat menstruis, sponondit. Inter omnes verò convenit, si aqua potusque formidetur a morsu canis suppositâ tantum calyci laciniâ tali, statim metum eum discuti : videlicet prævalente sympathiâ illâ Græcorum, cum rabiem canum ejus sanguinis gustatu incipere dixerimus. Cinere

eo jumentorum omnium ulcera sanari certum est, additâ caminorum farinâ & cerâ. Maculas autem e veste eas, non nisi ejusdem urinâ abluï. Cinerem per se rosaceo mixtum, feminarum præcipuè, capitis sedare dolores illitum fronti. Asperimamque vim profluvii ejus esse per se annis virginitate solutâ. Id quoque convenit, quo nihil equidem libentiùs crediderim, tactis omnino menstruo postibus, irritas fieri magorum artes, generis vanissimi, ut æstimare licet. Ponam enim vel modestissimum e promissis eorum: ex homine si quidem resegmina unguium e pedibus manibusque cerâ permixtâ, ita ut dicatur tertianæ, vel quotidianæ, vel quartanæ feбри remedium quæri, ante Solis ortum alienæ januæ adfigi jubent, ad remedia in iis morbis: quantâ vanitate si falsum est? quantâve noxiâ, si transferunt morbos? Innocentiores ex his omnium digitorum resegmina unguium, ad cavernas formicarum abjici jubent, eamque quæ prima cœperit trahere, correptam subnecti collo, ita discuti morbum.

XXIV. 8. Hæc sunt quæ retulisse fas sit, ac pleraque ex iis non nisi honore dicto. Reliqua intestabilia & infanda, ut festinet oratio ab homine fugere. In ceteris claritates animalium aut operum sequemur. Elephanti sanguis præcipuè maris, flu-

xiones omnes, quas rheumatismos vocant, sistit. Ramentis eboris cum melle Attico (ut aiunt) nubeculæ in facie, scobe paronychia tolluntur. Proboscidis tactu capitis dolor levatur, efficacius si & sternuat. Dextra pars proboscidis cum Lemniâ rubricâ adalligata, impetus libidinum stimulat. Sanguis & syntecticis prodest, jecurque comitialibus morbis.

XXV. Leonis adipēs cum rosaceo cutem in facie custodiunt a vitiiis, candoremque servant. Sanant & adusta nivibus, articulorumque tumores. Magorum vanitas perunctis eo adipe, faciliorem gratiam apud populos regesve promittit: præcipuè tamen eo pingui, quod sit inter supercilia, ubi esse nullum potest. Similia dentis, maximè a dextrâ parte, villique e rostro inferiori, promissa sunt. Fel aquâ additâ, claritatem oculis inunctis facit: & cum adipe ejusdem, comitiales morbos discutit, levi gustu, & ut protinus, qui sumpsere, cursu id digerant. Cor in cibo sumptum, quartanis medetur: adeps cum rosaceo quotidianis febribus. Perunctos eo bestiaæ fugiunt. Resistere etiam insidiis videtur.

XXVI. Cameli cerebrum arefactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis aiunt mederi: item fel cum melle potum: hoc & anginae. Caudâ arefactâ solvi alvum: fimi cinere crispari capillum cum

oleo. Et dysentericis prodest illitus cinis, potusque quantum tribus digitis capiatur, & comitialibus morbis. Urinam fullonibus utilissimam esse tradunt: itemque ulceribus manantibus: Barbaros eam fervare quinquennio, & heminis potâ ciere alvum. Setas e caudâ contortas, & sinistro brachio alligatas quartanis mederi.

XXVII. Hyænam magi ex omnibus animalibus in maximâ admiratione posuerunt, ut pote cui & ipsi magicas artes dederint, vimque, quâ alliciat ad se homines mente alienatos. De permutatione sexûs annuâ vice diximus, ceteraque de monstrificâ naturâ ejus: nunc persequemur quæcumque medicinis produntur. Præcipuè pantheris terrori esse traditur, ut ne contentur quidem resistere: & aliquid e corio ejus habentem non appeti. Miramque dictu, si pelles utriusque contrariæ suspendantur, decidere pilos pantheræ. Cùm fugiant venantem, declinare ad dextram, ut prætergressi hominis vestigia occupent. Quod si successerit, alienari mente, ac vel ex equo hominem decidere. At si in lævam detorserit, deficientis argumentum esse, celeremque capturam. Faciliùs autem capi, si cinctus suos venator, flagellumque imperitans equo septenis alligaverit nodis. Mox, ut est solers ambagibus vanitas magorum, capi jubent Gemi-

norum signum transeunte Lunâ, singulos-
 que propè pilos fervari. Capitis dolori al-
 ligatam cutem prodesse, quæ fuerit in ca-
 pite ejus. Lippitudini fel illitum frontibus:
 aut ne omnino lippiatur, decoctum cum
 mellis Attici cyathis tribus, & croci un-
 ciâ inunctum: sic & caligines discuti, &
 suffusiones. Claritatem excitari meliùs in-
 veterato medicamento. Adservari autem
 in Cypriâ pyxide. Eodem sanari argema,
 scabritias, excrescentia in oculis: item ci-
 catrices. Glaucomata verò jocineris re-
 centis inassati fanie, cum despumato mel-
 le inunctis. Dentes ejus dentium dolori-
 bus tactu prodesse vel adalligatos ordine:
 humeros humerorum & lacertorum dolo-
 ribus. Ejusdem dentes, si de sinistrâ par-
 te rostri eruti sint, illigatos pecoris aut ca-
 pri pelle stomachi cruciatibus. Pulmones
 in cibo sumptos cœliacis. Ventriculis, ci-
 nerem cum oleo illitum. Nervis, medul-
 las e dorso cum oleo vetere ac felle. Fe-
 bribus quartanis, jecur degustatum ter an-
 te accessiones. Podagris, spinæ cinerem
 cum linguâ & dextro pede vituli marini,
 addito felle taurino, omnia pariter cocta
 atque illita hyænæ pelle. In eodem mor-
 bo prodesse & fel cum lapide Assio. Tre-
 mulis, spasticis, exsiliantibus, & quibus
 cor palpitet, aliquid ex corde coctum man-
 dendum, ita ut reliquæ partis cinis cum

cerebro hyænæ illinatur. Pilos etiam auferri hac compositione illitâ, aut per se felle, evulsis priùs quos renasci non libeat. Sic & palpebris inutiles tolli. Lumborum doloribus carnes e lumbis edendas, illinendasque cum oleo. Sterilitatem mulierum emendari, oculo cum glycyrrhizâ & anetho sumpto in cibo, promisso intra triduum conceptu. Contra nocturnos pavores umbrarumque terrorem, unus e magnis dentibus lino alligatus succurrere narratur. Furentes suffiri eodem, & circumligari ante pectus, cum adipe renium, aut jocinere, aut pelle præcipiunt. Mulieri candida a pectore hyænæ caro, & pili septem, & genitale cervi, si illigentur dorcadis pelle, collo suspensa, continere partus promittuntur. Venerem stimulare genitalia ad sexus suos in melle sumpta, etiamsi viri mulierum coitus oderint. Quin immo totius domûs concordiam, eodem genitali & articulo spinæ cum adhærente corio adservatis constare: hunc spinæ articulum, sive nodum, Atlantion vocant: est autem primus. In comitialium quoque remediis habent eum. Adipe accenso, serpentes fugari dicunt. Maxillâ comminutâ in aneso, & in cibo sumptâ, horrores sedari. Eodem suffitu mulierum menses evocari. Tantùmque est vanitatis, ut si ad brachium alligetur superioris rostri dextræpar-

tis dens, jaculantium ictus deerraturos negent. Palato ejusdem arefacto, & cum alumine Ægyptio calfacto, ac ter in ore permutato, foetores & ulcera oris emendari. Eos verò qui linguam in calceamento sub pede habeant, non latrari a canibus. Sinistrâ parte cerebri naribus illitâ, morbos perniciosos mitigari, sive hominum, sive quadrupedum. Frontis corium fascinationibus resistere. Cervicis carnes, sive mandantur, sive bibantur arefactæ, lumborum doloribus. Nervis a dorso armisque, suffiendos nervorum dolores. Pilos rostri admotos mulierum labris amatorium esse. Jecur in potu datum, torminibus & calculis mederi. Jam cor in cibo potuve sumptum, omnibus doloribus corporum auxiliari: lienem lienibus: omentum, ulcerum inflammationibus cum oleo: medullas, doloribus spinæ & nervorum lassitudini. Renium nervos potos in vino cum thure, fecunditatem restituere ademptam veneficio. Vulvam cum mali Punici dulcis cortice in potu datam prodesse mulierum vulvæ. Adipe e lumbis suffiri difficulter parientes, & statim parere. E dorso medullam adalligatam contra vanas species opitulari. Spasticis, genitale e maribus suffitu. Item lippientibus, ruptis, & contra inflammationes: servatos pedes, tactu: lævos dextris partibus, dextros læ-

vis. Sinistrum pedem superlatum partu-
 rienti, letalem esse: dextro illato facilè
 eniti. Membranam quæ fel continuerit,
 cardiacis potam in vino, vel in cibo sump-
 tam, succurrere: vesicam in vino potam,
 contra urinæ incontinentiam. Quæ autem
 in vesicâ inventa sit urina, additis oleo
 ac sesamo, & melle, haustam prodesse
 ægrimonix veteri. Costarum primam &
 octavam, suffitu ruptis salutarem esse: ex
 spinâ verò parturientibus ossa: sanguinem
 cum polentâ sumptum, torminibus. Eodem
 tactis postibus, ubicumque magorum infe-
 stari artes, non elici deos, nec colloqui, sive
 lucernis, sive pelvi, sive aquâ, sive pilâ, sive
 quo alio genere tententur. Carnes si edan-
 tur, contra canis rabidi morsus efficaces
 esse: etiamnum jecur efficacius. Carnes vel
 ossa hominis, si quæ in ventriculo occi-
 sæ inveniantur, suffitu podagris auxiliari.
 Si ungues inveniantur in his, mortem ali-
 cujus capientium significari. Excrementa
 sive ossa reddita, cum interimitur, con-
 tra magicas insidias pollere. Fimum, quod
 in intestinis inventum sit, arefactum, ad
 dysentericos valere potum: illitumque cum
 adipe anserino opitulari toto corpore læ-
 sis malo medicamento: a cane verò mor-
 sis adipem illitum, & corium substratum.
 Rursus tali sinistri cinere decocto cum san-
 guine mustelæ perunctos omnibus odio

venire: idem fieri oculo decocto. Super omnia est, quòd extremam fistulam intestini contra ducum, ac potestatum iniquitates commonstrant, & ad successus petitionum, judiciorumque ac litium eventus, si omnino tantum aliquis secum habeat. Ejusdem cavernam sinistro lacerto alligatam, si quis mulierem respiciat, amatorium esse tam praesens, ut illico sequatur. Ejusdem loci pilorum cinerem ex oleo illitum viris, qui sint probrosae mollitiei, severos, non modò pudicos mores induere.

XXVIII. Proximè fabulosus est crocodilus, ingens quoque ille, cui vita in aqua terraque communis. Duo enim genera eorum: illius e dextrâ maxillâ dentes adalligati dextro lacerto, coitus (si credimus) stimulant. Canini ejus dentes febres statas arcent thure repleti, sunt enim cavi, ita ne diebus quinque ab ægro cernatur, qui adalligaverit. Idem pollere & ventre exemptos lapillos, adversus febrium horrores venientes tradunt. Eadem de causâ Ægyptii perungunt & adipe ægros suos.

Alter illi similis, multum infra magnitudine, in terrâ tantum, odoratissimisque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur jucundo nidore referata. Crocodileam vocant, oculorum vitii utilissimam, cum porri succo inunctis, &

contra suffusiones vel caligines. Illita quoque ex oleo cyprino, molestias in facie enascentes tollit: ex aquâ verò morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitoremque reddit. Lentigines tollit ac varos, maculasque omnes. Et contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis. Adposita menses ciet. Optima, quæ candidissima, & friabilis, minimèque ponderosa: cùm teratur, inter digitos fermentescens. Lavatur, ut cerussa. Adulterant amylo, aut Cimoliâ, sed maximè, qui captos oryzâ tantùm pascunt. Felle inunctis oculis ex melle contra suffusiones, nihil utilius prædicant. Intestinis & reliquo corpore ejus suffiri vulvâ laborantes salutare tradunt. Item velleribus circumdari vapore ejusdem infectis. Corri utriusque cinis ex aceto illitus his partibus, quas secari opus sit, aut nidor cremati, sensum omnem scalpelli aufert. Sanguis utriusque claritatem visûs inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. Corpus ipsum excepto capite pedibusque, elixum manditur ischiadicis, tussimque veterem sanat, præcipuè in pueris: item lumborum dolores. Habent & adipem, quo tactus pilus defluit. Hic perunctos, a crocodilis tuetur, instillaturque morsibus. Cor adnexum in lanâ ovis nigræ, cui nullus alius color incurfaverit, & primo partu

genitæ, quartanas abigere dicitur.
 XXIX. Jungemus illis simillima & peregrina æquè animalia: priùsque chamæleonem, peculiari volumine dignum existimatum Democrito, ac per singula membra defecratum, non sine magnâ voluptate nostrâ, cognitio proditisque mendaciis Græcæ vanitatis. Similis & magnitudine est suprâ dicto crocodilo, spinæ tantum acutiore curvaturâ, & caudæ amplitudine distans. Nullum animal pavidius existimatur, & ideo versicoloris esse mutationis. Vis ejus maxima contra accipitrum genus. Detrahere enim supervolantem ad se traditur, & voluntarium præbere lacerandum ceteris animalibus. Caput ejus & guttur si roboreis lignis accendantur, imbrium & tonitruum concursus facere, Democritus narrat: item jecur in tegulis ustum. Reliqua ad veneficia pertinentia quæ dicit, quamquam falsa existimantes, omittemus, præterquam ubi irrifu coarguendum. Dextro oculo, si viventi eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli: linguâ adalligatâ, pericula puerperii. Eundem salutarem esse parturientibus, si sit domi: si verò inferatur, perniciosissimum. Linguam, si viventi adempta sit, ad judiciorum eventus pollere. Cor adversus quartanas illigatum nigrâ lanâ primæ tonsuræ. Pedem e prioribus dextrum,

hyænæ pelle adalligatum sinistro brachio, contra latrocinia terroresque nocturnos pol-
 lere. Item dextram mamillam contra for-
 midines, pavoresque. Sinistrum verò pe-
 dem torreri in furno cum herbâ, quæ
 æquè chamæleon vocetur, additoque un-
 guento in pastillos digeri: eos in ligneum
 vas conditos, præstare (si credimus) ne
 cernatur ab aliis qui habeat. Armum dex-
 trum ad vincendos adversarios vel hostes
 valere, utique si abjectos ejusdem nervos
 calcaverit. Sinistrum humerum quibus
 monstris consecret, qualiter somnia quæ
 velis, & quibus velis, mittantur, pudet
 referre. Omnia ea dextro pede resolvi:
 sicut sinistro latere lethargos, quos fe-
 cerit dexter. Capitis dolores, insperso
 vino, in quo latus alterutrum maceratum
 sit, sanari. Feminis sinistri, vel pedis ci-
 neri si misceatur lac suillum, podagricos
 fieri illitis pedibus. Felle glaucomata &
 suffusiones corrigi propè creditur, tridui
 inunctione: serpentes fugari ignibus instil-
 lato: mustelas contrahi in aquam conje-
 cto: corpore verò illito detrahi pilos. Idem
 præstare narrant jecur, cum ranæ rube-
 tæ pulmone illitum. Præterea jocinere ama-
 toria dissolvi. Melancholicos autem sana-
 ri, si ex corio chamæleonis herbæ suc-
 cus bibatur. Intestina & fartum eorum,
 cum id animal nullo cibo vivat, cum si-

miarum urinâ illitâ inimicorum januæ, odium omnium hominum his conciliare. Caudâ flumina & aquarum impetus sisti, serpentes soporari. Eâdem medicatâ cedro & myrrhâ, illigatâque gemino ramo palmæ, percussam aquam discuti, ut quæ intus sint omnia appareant: utinamque eo ramo contactus esset Democritus, quoniam ita loquacitates immodicas promisit inhiberi. Palamque est, virum aliàs sagacem & vitæ utilissimum, nimio juvandi mortales studio prolapsum.

XXX. Ex eâdem similitudine est scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt, candidior autem, & tenuiore cute. Præcipua tamen differentia dignoscitur a crocodilo, squamarum serie a caudâ ad caput versâ. Maximus Indicus, deinde Arabicus. Adferuntur falsi. Rostrum ejus & pedes in vino albo positi, cupiditates Veneris accendunt: utique cum satyrio & erucæ femine, singulis drachmis omnium, ac piperis duabus admixtis, ita ut pastilli singularum drachmarum bibantur: per se laterum carnes obolis binis cum myrrhâ & pipere pari modo potæ, efficaciores ad idem creduntur. Prodest & contra sagittarum venena, ut Apelles tradit, antè posteaque sumptus. In antidota quoque nobilia additur. Sextius plus quàm drachmæ pondere in

vini heminâ potum, perniciem adferre tradit. Præterea ejusdem decocti jus cum melle sumptum, Venerem inhibere.

XXXI. Est crocodilo cognatio quædam amnis ejusdem, geminique victus, cum hippopotamo, repertore detrahendi sanguinis, ut diximus. Plurimi autem super Saiticam præfecturam. Hujus corii cinis cum aquâ illitus, panos sanat: adeps frigidas febres: item fimum suffitu. Dentes e parte lævâ dolores dentium, scarificatis gingivis. Pellis ejus e sinistrâ parte frontis in inguina adalligata, Venerem inhibet. Ejusdem cinis alopecias explet. Testiculi drachmâ ex aquâ contra serpentes bibitur. Sanguine pictores utuntur.

XXXII. Peregrinæ sunt & lynces, quæ clarissimè omnium quadrupedum cernunt. Ungues earum omnes cum corio exuri efficacissimè in Carpatho insulâ tradunt. Hoc cinere poto propudia virorum: ejusdem adsperfu, feminarum libidines inhiberi: item pruritus corporum: urinâ, stillicidia vesicæ. Itaque eam protinus terrâ pedibus adgestâ obruere traditur. Eadem autem & jugulorum dolori monstratur in remedio. Hactenus de externis.

XXXIII. 9. Nunc revertemur ad nostrum orbem: primumque communia animalium remedia atque eximia dicemus: sicuti de lactis usu. Utilissimum cuique

maternum. Concipere nutrices exitiosum est: hi sunt enim infantes, qui colostrati appellantur, densato lacte in casei speciem. Est autem colostrum, prima a partu spongiosa densitas lactis. Maximè autem alit quodcumque humanum, mox caprinum: unde fortassis fabulæ Jovem ita nutritum dixere. Dulcissimum ab hominis camelinum, efficacissimum ex asinis. Magnorum animalium & corporum faciliùs redditur. Stomacho accommodatissimum caprinum, quoniam fronde magis, quàm herbâ vescuntur. Bubulum medicatius. Ovillum dulcius & magis alit, stomacho minùs utile, quoniam est pinguius. Omne autem vernum aequatius æstivo, & de novellis: probatissimum verò, quod in ungue hæret, nec defluit. Innocentius decoctum, præcipuè cum calculis marinis. Alvus maximè solvitur bubulo. Minùs autem inflat quodcumque decoctum.

Usus lactis ad omnia intus exulcerata, maximè renes, vesicam, interanea, fauces, pulmones: foris pruritus cutis, eruptiones pituitæ, post abstinentiam. Nam ut in Arcadiâ bubulum biberent phthisici, syntecticique, & cachectæ, diximus in ratione herbarum. Sunt inter exempla, qui asininum bibendo liberati sint podagrâ, chiragrâve. Medici speciem unam addidere lactis generibus, quod schiston appel-

lavere. Id fit hoc modo: fictili novo fervet caprinum maximè, ramisque ficulneis recentibus miscetur, additis totidem cyathis mulsi, quot sint heminæ lactis. Cùm fervet, ne circumfundatur, præstat cyathus argenteus cum frigidâ aquâ demissus, ita ne quid infundat: ablatum deinde igni, refrigeratione dividitur, & discedit serum a lacte. Quidam & ipsum serum jam mulso potentissimum, decoquunt ad tertias partes, & sub dio refrigerant. Bibitur autem efficacissimè heminis per intervalla singulis, diebus quinis: meliùs a potu gestari. Datur comitialibus, melancholicis, paralyticis, in lepris, elephantiasi, articulariis morbis.

Infunditur quoque lac contra rosiones a medicamentis factas. Et si urat dysenteria, decoctum cum marinis lapillis, aut cum ptisanâ hordeaceâ. Item ad rosiones intestinorum, bubulum aut ovillum utilius. Recens quoque dysentericis infunditur: ad colum autem, crudum: item vulvæ, & propter serpentium ictus: potissime pityocampes, buprestis, cantharidum, aut salamandræ venenis. Privatim bubulum his qui Colchicon biberint, aut cicutam, aut dorycnium, aut leporem marinum: sicut asininum contra gypsum, & cerussam, & sulphur, & argentum vivum: item duræ alvo in feбри. Gargarizatur quoque fauci-

bus exulceratis utilissimè. Et bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant: in feбри etiam quæ careat dolore capitis. Pueris ante cibum, lactis asinini heminam dari, aut si exitus cibi rosiones sentirent, antiqui in arcanis habuerunt: si hoc non esset, caprini. Bubuli serum orthopnoicis prodest ante cetera, addito nasturtio. Inunguntur etiam oculi, in lactis heminis sesamæ additis drachmīs quatuor tritis in lippitudine. Caprino lienes sanantur post bidui inedia tertiam die ederā pastis capris, per triduum poto sine alio cibo. Lactis usus aliās contrarius capitis doloribus, hepaticis, splenicis, nervorum vitio, febres habentibus, vertigini, præterquam purgationis gratiā, gravedini, tussientibus, lippis. Suillum utilissimum tenesmo, dysenteriæ, nec non phthisicis. Hoc & mulieribus saluberrimum qui dicerent, fuerunt.

XXXIV. De generibus caseorum diximus, cum de uberibus singulisque animalium membris diceremus. Sextius eisdem effectus equino, quos bubulo, tradit. Hunc vocant hippacen. Stomacho utiles, qui non sint falsi, id est, recentes. Veteres alvum sistunt, corpusque minuunt, stomacho utiliores: & in totum falsa minuunt corpus, alunt mollia. Caseus recens cum melle, sugillata emendat, mol-
lis

His alvum sistit. Sedat tormina pastillis in vino austero decoctis, rursusque in patina tostis cum melle. Saproon vocant, qui cum sale & forbis siccis e vino tritus potusque medetur cœliacis. Genitalium carbunculis caprinus tritus & impositus: item acidus cum oxymelite. Maculis in balineo illitus oleo interlinitur.

XXXV. E lacte fit & butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, & qui divites a plebe discernat. Plurimum e bubulo, & inde nomen: pinguisimum ex ovibus. Fit & ex caprino, sed hieme, calfacto lacte: æstate, expresso tantum crebro jactatu in longis vasis, angusto foramine spiritum accipientibus sub ipso ore, aliàs præligato. Additur paululum aquæ, ut ace scat. Quod est maximè coactum, in summo fluitat: id exemptum addito sale, oxygala vocatur. Reliquum decoquant in ollis. Ibi quod supernatat, butyrum est, oleosum naturâ. Quò magis virus resipit, hoc præstantius judicatur. Pluribus compositionibus miscetur inveteratum. Natura ejus adstringere, mollire, replere, purgare.

XXXVI. Oxygala fit & alio modo; acido lacte addito in recens quod velis inacescere, utilissimum stomacho. Effectus dicemus suis locis.

XXXVII. Proxima in communibus adi.
Tomus V. G

pi laus est, sed maximè fuillo, apud anti-
 quos etiam religiosiùs. Certè novæ nup-
 tæ intrantes, etiamnum follemne habent
 postes eo attingere. Inveteratur duobus
 modis, aut cum sale, aut sincerus: tantò
 utilior, quantò sit vetustior. Axungiam
 Græci etiam appellavere jam in volumi-
 nibus suis. Neque est occulta virium cau-
 sa, quoniam id animal herbarum radici-
 bus vescitur. Itaque etiam fimo innume-
 ri usus. Quamobrem non de aliâ loqui-
 mur sue: multò efficacior est femina, &
 quæ non peperit. Multò verò præstantior
 in apris est. Usus igitur axungiæ est ad
 emollienda, excalfacienda, discutienda,
 purgandaque. Medicorum aliqui admixto
 anseris adipe, taurorumque sevo & œsyo-
 po, ad podagras uti jubent. Si verò per-
 manet dolor, cum cerâ, myrto, resinâ,
 pice. Sincera axungia medetur ambustis
 vel nive: pernionibus autem cum hordei
 cinere & gallâ pari modo. Prodest & con-
 fricatis membris, itinerumque lassitudines
 & fatigationes levat. Ad tussim veterem
 recens decoquitur quadrantis pondere in
 vini cyathis tribus addito melle. Vetus
 etiam phthisin in pilulis sumpta sanat,
 quæ sine sale inveterata est. Omnino
 enim non nisi ad ea quæ purganda sint,
 aut quæ non sint exulcerata, falsa peti-
 tur. Quidam quadrantes axungiæ & mul-

si in vini cyathis tribus decoquunt contra phthises, quarto quoque die picem liquidam in ovo sumi jubent, circumligatis lateribus, & pectoribus, & scapulis eorum qui phthisin sentiunt. Tantaque est vis, ut genibus etiam adalligata, redeat in os sapor, eamque exspuere videantur. E sue quæ non peperit, aptissimè utuntur ad cutem mulieres. Contra scabiem verò quivis, admixto jumentorum sevo, pro parte tertiâ, & pice, pariterque subfervefactis. Sincera partus in abortum vergentes nutrit, collyrii modo subdita. Cicatrices concolores facit cerussâ admixtâ, vel argenti spumâ. At cum sulphure, unguium scabritias emendat. Medetur & capillo fluenti; & ulceribus in capite mulierum cum gallæ parte quartâ: & infumata pilis oculorum. Datur & phthisicis unciam, cum vini veteris heminâ decocta, donec tres unciaë e toto restent. Aliqui & mellis exiguum adjiciunt. Panis illinitur cum calce, item furunculis duritiæque mammarum. Rupta, & convulsa, & spasmata, & luxata sanat. Clavos, & rimas, callique vitia, cum elleboro albo: parotidas admixtâ farinâ falsamentariæ testæ: quo genere proficit & ad strumas. Pruritus & papulas in balineo perunctis tollit: alioque etiamnum modo podagricis prodest mixto oleo veteri, contrito unâ sar-

cophago lapide, & quinquefolio tuso in vino, vel cum calce, vel cum cinere. Facit & peculiare emplastrum LXXV. X. ponderi centum spumæ argenteæ mixtis, utilissimum contra inflammationes ulcerum. Adipe verrino inungi putant utile, quæque serpant, illinire cum resinâ. Antiqui maximè axibus vehiculorum perungendis, ad faciliorem circumactum rotarum utebantur: unde nomen: sic quoque utili medicinâ, cum illâ ferrugine rotarum, ad sedis vitia virilitatisque. Et per se axungiam medici antiqui maximè probabant renibus detractam, exemptisque venis aquâ cælesti fricabant crebrò, decoquebantque fistili novo sæpius, tum demum adservantes. Convenit balsam magis emollire, excalfacere, discutere, utiliolemque esse vino lotam. Masurius palmam lupino adipi dedisse antiquos tradit. Ideo novas nuptas illo perungere postes solitas, ne quid mali medicamenti inferretur.

XXXVIII. Quæ ratio adipis, eadem in his quæ ruminant sevi est, aliis modis, non minoris potentia. Perficitur omne exemptis venis aquâ marinâ vel falsâ lotum, mox in pilâ tusum, adpersâ marinâ. Crebrò postea coquitur, donec odor omnis aboleatur. Mox adsiduo Sole ad candorem reducitur. A renibus autem laudatissimum est. Si verò vetus revocetur

ad curam, liquefieri prius jubent: mox frigidâ aquâ lavari sæpius, dein liquefacere adfuso vino quàm odoratissimo. Eodemque modo iterum ac sæpius coquunt, donec virus evanescat. Multi privatim sic taurorum, leonumque, ac pantherarum, & camelorum pinguia curari jubent. Usus dicetur suis locis.

XXXIX. Communis & ratio medullarum est. Omnes molliunt, explent, siccant, excalfaciunt. Laudatissima cervina mox vitulina, dein hircina, & caprina. Curantur ante autumnum recentes lotæ, siccataeque in umbrâ: per cribrum dein liquatae, per lintea exprimuntur, ac reponuntur in fictili, locis frigidis.

XL. Inter omnia autem communia animalium vel præstantissimi effectûs fel est. Vis ejus excalfacere, mordere, scindere, extrahere, discutere. Minorum animalium subtilius intelligitur, & ideo ad oculorum medicamenta utilius existimatur. Taurino præcipua potentia, etiam in ære pellibusque colore aureo ducendis. Omne autem curatur recens præligato ore lino crasso, demissum in ferventem aquam semihorâ, mox siccatum sine Sole, atque in melle conditum. Damnatur equinum, tantum inter venena: ideo flomini factorum equum tangere non licet, cum Romæ publicis sacris equus etiam immoletur.

XLI. Quin & sanguis eorum septicam vim habet. Item equarum, præterquam virginum, erodit, emarginat ulcera. Taurinus quidem recens inter venena est, exceptâ Ægirâ. Ibi enim sacerdos Terræ vaticinatura, tauri sanguinem bibit prius quàm in specum descendat. Tantùm potest sympathia illa, de quâ loquimur, ut aliquando religione, aut loco fiat. Drusus tribunus plebei traditur caprinum bibisse, cùm pallore & invidiâ veneni sibi dati insimulare Q. Cæpionem inimicum vellet. Hircorum sanguini tanta vis est, ut ferramentorum subtilitas non aliter acrius induretur, scabritiâ poliatur vehementiùs, quàm limâ. Non igitur & sanguis animalium inter communia dici potest, & ideo suis quisque dicetur effectibus.

XLII. Digeremus enim in mala singula usus, plurimùmque contra serpentes. Exitio his esse cervos nemo ignorat, ut si quæ sunt, extractas cavernis mandentes. Nec verò ipsi spirantesque tantùm adversantur, sed membratim quoque. Fugari eas nidore cornu eorum si uratur, dictum est: at de summo gutture ustis ossibus, congregari dicuntur. Pelles ejusdem animalis substratæ, securos præstant ab eo metu somnos. Coagulum quoque ex aceto potum ab ictu: & si omnino tractatum sit, eo die non ferit serpens. Testes quo-

que ejus inveterati, vel genitale maris, salutariter dantur in vino: item venter, quem centipellionem vocant. Fugiunt & omnino dentem cervi habentes, aut medullâ perunctos, sevoe cervi tacta aut vituli. Summis autem remediis præfertur hinnulei coagulum, matris utero exsecti, ut indicavimus. Sanguine quoque cervino, si unâ urantur dracontion, & cunilago, & anchusa lentisci ligno, contrahi serpentes tradunt. Dissipari deinde, si sanguine detracto adjiciatur pyrethrum.

Invenio apud auctores Græcos animal cervo minus, & pilo demum simile, quod ophion vocaretur. Sardiniam id tantum ferre solitam. Hoc interiisse arbitror, & ideo medicinas ex eo omitto.

10. Apri quoque cerebrum contra eas laudatur cum sanguine. Jecur etiam inveteratum cum rutâ potum ex vino. Item adeps, cum melle resinâque. Simili modo verrinum jecur, & fellis dumtaxat fibra, x. quatuor pondere, vel cerebrum in vino potum. Caprarum cornu vel pilis accensis, fugari serpentes dicunt, cineremque e cornu potum vel illitum contra ictus valere: item lactis haustus cum uvâ taminiâ, vel urinæ cum aceto scillite: caseum caprinum cum origano impositum, vel sebum cum cerâ. Millia præterea remediorum ex eo animali demon-

strantur, sicut apparebit: quod equidem miror, cum febris negetur carere. Amplior potentia feris ejusdem generis, quod numerosissimum esse diximus. Alia verò & hircis. Democritus etiamnum effectus ejus auget, qui singularis natus sit. Fimo quoque caprarum in aceto decocto illini ictus serpentium placet, & recentis cinere in vino: atque in totum difficilius se recolligentes a serpentium ictu, in capribus optimè convalescunt. Qui efficacius volunt mederi, occisæ capræ alvum dissectam cum fimo intus reperto statim illigant. Alii carnem recentem hœdorum pilo suffiunt, eodemque nidore fugant serpentes. Utuntur & pelle eorum recente ad plagas, carne & fimo equi in agro pasti, coagulo leporis ex aceto, contraque scorpionem & murem araneum. Aiunt autem non feriri leporis coagulo perunctos. A scorpione percussis, fimum capræ efficacius cum aceto decoctum auxiliatur: lardum jusque decocti potum his, qui buprestim hauserint.

Quinetiam si quis asino in aurem percussus a scorpione se dicat, transire malum protinus tradunt: venenataque omnia accenso ejus pulmone fugere. Et fimo vituli suffiri percussos a scorpione prodest.

XLIII. Canis rabiosi morfu facta vulnera circumcidunt ad vivas usque partes

quidam, carnemque vituli admovent, & jus ex eodem carnis decoctæ dant potui, aut axungiam cum calce tufam.

Hirci jecore imposito ne tentari quidem aquæ metu adfirmant.

Laudant & capræ fimum ex vino illitum: melis, & cuculi, & hirundinis decoctum & potum. Ad reliquos bestiarum morsus caprinum caseum siccum cum origano imponunt, & bibi jubent: ad hominis morsus carnem bubulam coctam, efficacius vituli, si non ante quintum diem solvant.

XLIV. Veneficiis rostrum lupi resistere inveteratum aiunt, ob idque villarum portis præfigunt. Hoc idem præstare & pellis e cervice solidâ existimatur: quippe tanta vis est animalis, præter ea quæ retulimus, ut vestigia ejus calcata equis adferant torporem.

XLV. Iis qui argentum vivum biberint, lardum remedio est. Asinino lacte poto venena restinguuntur, peculiariter si hyoscyamum potum sit, aut viscum, aut cicuta, aut lepus marinus, aut opocarpatum, aut pharicon, aut dorycnium, & si coagulum alicui nocuerit: nam id quoque venenum est primâ lactis coagulatione. Multos ejus & alios usus dicemus. Sed meminisse oportebit recenti utendum, aut non multò postea tepefacto. Nullum enim

celerius evanescit. Ossa quoque asini contracta & decocta, contra leporis marini venenum dantur. Omnia eadem onagris efficaciora.

De equiferis non scripserunt Græci, quoniam terræ illæ non gignebant. Verumtamen fortiora omnia eadem, quam in equis intelligi debent. Lacte equino venena leporis marini, & toxica expugnantur.

Nec uros aut bisontes habuerunt Græci in experimentis, quamquam bove fero refertis Indiæ silvis: portione tamen eadem efficaciora omnia ex his credi par est. Sic quoque lacte bubulo cuncta venena expugnari tradunt, maximè suprà dicta: & si ephemerum impactum sit: aut si cantharides datæ, vomitione omnia egeri: sic & caprino jure cantharidas. Contra ea verò quæ exulceratione enecant, sebum vitulinum vel bubulum auxiliatur. Nam contra sanguifugas potas butyrum remediò est, cum aceto ferro calfacto: quod & per se prodest contra venena. Nam si oleum non sit, vicem ejus representat. Multipedæ morsus cum melle sanat. Omasi quoque jure poto venena suprà dicta expugnari putant, privatim verò aconita & cicutas: itemque vitulino sevo. Caprinus caseus recens, his qui viscum biberint: lac verò contra cantha-

ridas remedio est, & contra ephemeripotum cum taminiâ uvâ. Sanguis caprinus decoctus cum medullâ contra toxica venena sumitur: hœdinus contra reliqua. Coagulum hœdi contra viscum, & chameleonem album, sanguinemque taurinum, contra quem & leporis coagulum est ex aceto. Contra pastinacam verò & omnium marinorum ictus vel morsus, coagulum leporis, vel hœdi, vel agni, drachmæ pondere ex vino. Leporis coagulum & contra venena additur antidotis. Papiilio quoque lucernarum luminibus advolans, inter mala medicamenta numeratur. Huic contrarium est jecur caprinum: sicut fel veneficiis ex mustelâ rusticâ factis. Hinc deinde revertemur ad genera morborum.

XLVI. II. Capilli defluvia ursinus adeps admixto ladano & adianto continet, alopeciasque emendat, & raritatem superciliariorum, cum fungis lucernarum, ac fuligine, quæ est in rostris earum. Porrigini cum vino prodest. Ad hanc & cornu cervini cinis e vino, utque non tædia animalium capillis increscant. Item fel caprinum cum cretâ Cimoliâ & aceto, sicut paulum capiti inarescant. Item fel scrofinum cum urinâ tauri. Si verò vetus sit, etiam furfures adjecto sulphure emendat. Cinere genitalis asinini spissari capillum

putant, & a canitie vindicari, si rasis illinatur, plumboque tritus cum oleo. Denfari & asinini pulli cum urinâ: admiscentque nardum fastidii gratiâ. Alopecias felle taurino cum Ægyptio alumine tepere factis illinunt. Capitis ulcera manantia urina tauri efficaciter sanat: item hominis vetus, si cyclaminum adjiciatur, & sulphur. Efficacius tamen & vitulinum fel: quo cum aceto calfacto & lendes tolluntur. Sevum vitulinum cum sale tritum, capitis ulceribus utilissimum. Laudatur & vulpium adeps, sed præcipuè felis fimum cum sinapis pari modo illitum. Caprini cornus farina vel cinis, magisque hircini, addito nitro & tamaricis femine, & butyro oleoque, prius capite raso, mirè continent ita fluentem capillum. Sicuti carnis cinere ex oleo illito supercilia nigrescunt. Lacte caprino lendes tolli tradunt: fimo cum melle alopecias expleri: item unguularum cinere cum pice, fluentem capillum contineri. Leporinus cinis cum oleo myrteo capitis dolorem sedat: item aqua pota, quæ e bovis aut asini potu relicta est: &, si credimus, vulpis masculæ genitale circumligatum: cornus cervini cinis illitus ex aceto, aut rosaceo, aut ex irino.

XLVII. Oculorum epiphoras bubulo sevo cum oleo cocto illinunt. Cervini cornus cinere scabritias eorumdem inungunt:

mucrones autem ipsos efficaciores putant. Lupi excrementis circumlini suffusiones prodest. Cinere eorum cum Attico melle inungi obscuritates: item felle ursino. Epinyctidas, adipe aprugno cum rosaceo. Ungulæ asininæ cinis inunctus e suo lacte, cicatrices oculorum, & albugines tollit. Medulla bubula e dextro crure priore trita cum fuligine, pilis, & palpebrarum vitiiis angulorumque occurrit: calliblephari modo fuligo in hoc usu temperatur: optimè ellychnio papyraceo, oleoque sesamino, fuligine in novum vas pennis detersâ. Efficacissimè tamen evulsos ibi pilos coerces. Felle tauri cum ovi albo, collyria fiunt, aquâque dissolutâ inungunt per quatrimum. Sevum vituli cum anseris adipe & ocimi succo, genarum vitiiis aptissimum est. Eiusdem medullæ cum pari pondere ceræ & olei vel rosacei, addito ovo, duritiæ genarum illinuntur. Caseo molli caprino imposito ex aquâ calidâ epiphoræ sedantur: si tumor sit, ex melle. Utrumque verò sero calido fovendum. Sicca lippitudo, lumbulis suum exustis atque contritis, & impositis tollitur. Capras negant lippire, quoniam eæ quasdam herbas edant: item dorcadas: & ob id fimum earum cerâ circumdatum novâ Lunâ devorare jubent. Et quoniam noctu æquè quoque cerant, sanguine hircino sanari lusciosos pu-

tant, nyctalopas a Græcis dictos: capræ verò jocinere, in vino austero decocto. Quidam inassati jocineris sanie inungunt, aut felle capræ, carnesque eas vesci, & dum coquantur oculos vaporari his præcipiunt. Id quoque referre arbitrantur, ut rutili coloris fuerit. Volunt & oculos suffiri, jocinere in ollis decocto: quidam inassato. Fel quidem caprinum pluribus modis adsumunt: cum melle, contra caligines: cum veratri candidi tertiâ parte, contra glaucomata: cum vino, contra cicatrices, & albugines, & caligines, & pterygia, & argema: ad palpebras verò evulso priùs pilo, cum succo oleris, ita ut unctio inarescat. Contra ruptas tuniculas, cum lacte mulieris. Ad omnia inveteratum fel efficacius putant. Nec abdicant firmum ex melle illitum, epiphoris: contraque dolores, medullam: item pulmonem leporis. Et ad caligines fel cum passiflo aut melle. Lupino quoque adipe, vel medullâ suum, fricari oculos contra lippitudines præcipiunt. Nam vulpinam linguam habentes in armillâ, lippituros negant.

XLVIII. Aurium dolori & vitiis medetur urina apri in vitro servata: fel apri vel suis, vel bubulum cum oleo cicino & rosaceo æquis portionibus. Præcipuè verò taurinum, cum porri succo tepidum,

vel cum melle, si suppuret. Contraque odorem gravem per se tepesactum in malicorio. In eâ parte rupta cum lacte mulierum efficaciter sanat. Quidam etiam ingravatas aures sic perluendas putant. Alii cum senectâ serpentium & aceto includunt lanâ collutas antè calidâ aquâ. Aut si major sit gravitas aurium, fel cum myrrhâ & rutâ in malicorio excalfactum infundunt: lardum quoque pingue: item fimum asini recens cum rosaceo instillatur: omniaque ea tepesacta. Utilior equi spuma, vel equini fimi recentis cinis cum rosaceo. Sevum bubulum cum adipe anserino, butyrum recens. Urina capræ, vel tauri, aut fullonia vetus calfacta, vapore per lagenæ collum subeunte. Admiscent & aceti tertiam partem: & aliquid urinæ vituli, qui nondum herbam gustaverit. Fimum etiam mixto felle ejusdem. Et cutem, quam relinquunt angues, excalfactis prius auribus. Lanâ autem medicamina ea includuntur. Prodest & sebum vituli cum anseris adipe, & ocimi succo: ejusdem medulla admixto cumino trito infusa. Virus verrinum e scrofâ exceptum priusquam terram attingat, contra dolores. Auribus fractis glutinum e naturis vitulorum factum, & in aquâ liquatum. Aliis vitiis adeps vulpium. Item fel caprinum cum rosaceo tepido, aut porri succo: aut si sint rupta

ibi aliqua, e lacte mulieris. Si gravitas sit audiendi, fel bubulum cum urinâ capræ, vel hirci, vel si pus sit. In quocumque autem usu putant hæc efficaciora in cornu caprino per dies viginti infumata. Laudant & coagulum leporis tertiâ denarii parte, dimidiâque facopeni in amineo vino. Parotidas ursinus adeps comprimit pari pondere ceræ & taurini fevi. Addunt quidam hypocisthidem: & per se butyrum illitum, si prius foveantur feni Græci decocti succo. Efficacius cum strychno. Profunt & vulpium testes, & taurinus sanguis aridus tritus. Urina capræ calfacta instillata auribus: fimumque ejusdem cum axungia illitum.

XLIX. Dentes mobiles confirmat cervini cornus cinis, doloresque eorum mitigat, sive infricentur, sive colluantur. Quidam efficacioram ad omnes eosdem usus crudi cornus farinam arbitrantur. Dentifricia utroque modo fiunt. Magnum remedium est in luporum capitis cinere. Certumque est in excrementis eorum plerumque inveniri ossa. Hæc adalligata eundem effectum habent. Item leporina coagula per aurem infusa contra dolores: & capitis eorum cinis dentifricium est, adjectoque nardo mulcet graveolentiam oris. Aliqui murinorum capitem cinerem miscuisse malunt. Reperitur in latere leporis

acui os simile: hoc scarificari dentes in dolore suadent. Talus bubulus accensus, eos qui labant cum dolore, admotus confirmat. Eiusdem cinis cum myrrhâ, denfricium est. Ossa quoque ex ungulis suum combusta, eundem usum præbent: item ossa ex acetabulis pernarum, circa quæ coxendices vertuntur. Iisdem sanari, demissis in fauces jumentorum, verminationes notum est: sed & combustis dentes confirmari. Asinino quoque lacte percussu vexatos, aut dentium eiusdem cinere: lichenem item equi cum oleo infuso per aurem. Est autem hoc non hippomanes, quod alioqui noxium omitto, sed in equorum genibus, ac super ungulas. Præterea in corde equorum invenitur os, dentibus caninis maximis simile: hoc scarificari dolorem, aut exempto dente emortui equi maxillis, ad numerum ejus qui doleat, demonstrant. Equarum virus a coitu in lychnis accensum Anaxilaus prodidit, equinorum capitum usus repræsentare monstrificè: similiter ex asinis. Nam hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut adfusum æris mixturæ in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coitûs agat. Medetur dentibus & fabrile glutinum, in aquâ decoctum, illitumque, & mox paulo detractum, ita ut confestim colluantur vino, in quo decocti sunt cortices mali.

Punici dulcis. Efficax habetur & caprino lacte collui dentes, vel felle taurino. Tolorum capræ recentium cinis dentifricio placet, & omnium fere villaticarum quadrupedum, ne sæpius eadem dicantur.

L. 12. Cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodire lacte asinino putant. Notumque est quasdam quotidie septingenties custodito numero fovere. Poppæa hoc Neronis principis instituit, balinearum quoque solia sic temperans, ob hoc asinarum gregibus eam comitantibus. Impetus pituitæ in facie, butyro illito tolluntur: efficacius cum cerussâ. Sincero verò vitia quæ serpunt, insuper impositâ farinâ hordeaceâ. Ulcera in facie membranâ e partu bovis madidâ. Frivolum videatur, non tamen omnittendum, propter desideria mulierum: talum candidi juveni, quadraginta diebus noctibusque, donec resolvatur in liquorem decoctum, & illinitum linteolo, candorem, cutisque erugationem præstare. Fimo taurino malas rubescere aiunt: non ut crocodileam illini melius: sed foveri frigidâ & antè & postea jubent. Æstates, & quæ decolorem faciunt cutem, fimum vituli cum oleo & gummi manu subactum emendat. Ulcera oris ac rimas, sebum vituli vel bovis cum adipe anserino, & ocimi succo. Est & alia mixtura, sevo vituli cum medullâ cervi,

& albæ spinæ foliis unâ tritis. Idem præstat & medulla cum resinâ, vel si vaccina sit, & jus e carne vaccinâ. Lichenas oris præstantissimè vincit glutinum factum e genitalibus vitulorum, liquatum, acetum cum sulphure vivo, ramo ficulneo permixtum, ita ut bis die recens illinatur. Item lepras ex melle & aceto decoctum, quas & jecur hirci calidum illitum tollit: sicut elephantiasin fel caprinum: etiamnum lepras ac furfures, tauri fel addito nitro: urina asini circa Canis ortum: maculas in facie, fel utriusque per sese aquâ infractum, evitatisque Solibus ac ventis post detractam cutem. Similis effectus & in taurino vitulinove felle, cum semine cunilæ, ac cinere e cornu cervino, si Caniculâ exoriente comburatur. Asinino sevo cicatricibus ac licheni leprisque maxime color redditur. Hirci fel & lentigines tollit, admixto caseo, cum vivo sulphure spongiæque cinere, ut mellis sit crassitudo. Aliqui inveterato felle uti maluerunt, mixtis calidis furfuribus pondere oboli unius, quatuorque mellis, prius defricatis maculis. Efficax ejusdem & sebum cum melanthio, & sulphure & iride. Labrorum fissuris cum adipe anserino, ac medullâ cervinâ resinâque & calce. Invenio apud auctores, his qui lentigines habeant, negari magices sacrificiorum usum.

LI. Lacte bubulo aut caprino tonsillæ & arteriæ exulceratæ juvantur. Gargarizatur tepidum, ut est expressum, aut calefactum. Caprinum utilius, cum malvâ decoctum & sale exiguo. Linguae exulcerationi & arteriarum prodest jus omasi gargarizatum: tonsillis autem privatim renes vulpium aridi, cum melle triti illitique: anginæ fel taurinum vel caprinum cum melle. Jecur melis ex aquâ oris gravitatem, ulceraque butyrum emendat. Spinam aliudve quid faucibus adhærens, extrinsecus fimo perfricatis, aut reddi aut delabi tradunt. Strumas discutit fel aprinum, vel bubulum tepidum illitum. Nam coagulum leporis e vino in linteolo exulceratis dumtaxat imponitur. Discutit & ungulæ asini vel equi cinis, ex oleo, vel aquâ illitus, & urinâ calefactâ: & bovis ungulæ cinis ex aquâ: fimum quoque fervens ex aceto. Item sebum caprinum cum calce, aut fimum ex aceto decoctum, testesque vulpini. Prodest & sapo: Galliarum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex sevo, & cinere. Optimus fagino & caprino: duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris quàm feminis.

LII. Cervicum dolores butyro aut adipe ursino perfricantur: rigores bubulo sevo: quod & strumis prodest cum oleo.

Dolorem inflexibilem (opisthotonon vocant) levat urina caprae auribus infusa, aut fimum cum bulbis illitum: ungues contusos fel cujuscumque animalis circumligatum: pterygia digitorum fel tauri aridum aqua calida dissolutum. Quidam adjiciunt sulphur & alumen, pari pondere omnium.

LIII. Tussim jecur lupi ex vino tepido sanat: ursinumque fel admixto melle, aut ex cornu bubuli summis partibus cinis: vel saliva equi triduo pota: at equum mori tradunt: pulmo cervinus cum gula sua arefactus in fumo, deinde tusus ex melle, quotidiano ecligmate. Efficacior est ad id subulo cervorum generis. Sanguinem exspuentes, cervini cornu cinis: coagulum leporis tertia parte denarii cum terra Samia & vino myrteo potum sanat. Eiusdem fimi cinis in vino vesperi potus, nocturnas tusses: pili quoque leporis suffiti, extrahunt pulmonibus difficiles excreationes. Purulentas autem exulcerationes pectoris pulmonisque, & a pulmone graveolentiam halitus, butyrum efficacissime juvat, cum pari modo mellis Attici decoctum, donec rufescat, & matutinis sumptum ad mensuram lingulae. Quidam pro melle, laricis resinam addere maluerunt. Si sanguis rejiciatur, efficacem tradunt bubulum sanguinem, modice & cum aceto sumptum: nam de taurino credere, temerarium

est. Sed glutinum taurinum tribus obolis cum calidâ aquâ bibitur in vetere sanguinis exscreatione.

LIV. 13. Stomachum exulceratum lactis asinini potus reficit : item bubuli. Rosiones ejus caro bubula admixto aceto & vino cocta. Rheumatismos cornus cervinæ cinis. Sanguinis exscreationes hœdinus sanguis recens, ad cyathos ternos cum aceto acri pari modo fervens potus : coagulum tertiâ parte ex aceto potum.

LV. Jocineris dolores, lupi jecur aridum ex mulso : asini jecur aridum cum petroselini partibus duabus, ac nucibus tribus, ex melle tritum & in cibo sumptum : sanguis hircinus cibo aptatus. Suspiriosis ante omnia efficax est potus equiferorum sanguinis. Proximè lactis asinini tepidi cum bulbis decocti, ita ut ferum ex eo bibatur : addito in tres heminas cyatho nasturtii perfusi aquâ, deinde melle diluti. Jecur quoque vulpinum, aut pulmo, in vino nigro, aut fel ursinum in aquâ, laxat meatus spirandi.

LVI. Lumborum dolores, & quæcumque alia molliri opus sit, ursino adipe fricari convenit : cinerem aprini aut suilli firmi inveterati adspergi potioni vini. Adferunt & magi sua commenta. Primum omnium, rabiem hircorum, si mulceatur barba, mitigari : eâdem præcisâ, non abire

eos in alienum gregem. Huic admiscent
 fimum caprinum, & subdito linteolo un-
 cto cavâ manu, quantum pati possit, fer-
 vens, sustinere jubent: ita ut si læva pars
 doleat, hæc medicina in dextrâ manu
 fiat, aut e contrario. Fimum quoque ad
 eum usum acûs æreæ punctis tolli jubent.
 Modus curationis est, donec vapor ad lum-
 bos pervenisse sentiatur. Postea verò ma-
 num porro tuso illinunt, item lumbos ip-
 so fimo cum melle: suadentque in eodem
 dolore & testes leporis devorare. Ischia-
 dicis fimum bubulum imponunt, calfactum
 in foliis cinere ferventi. In renum dolore
 leporis renes crudeos devorari jubent, aut
 certè coctos, ita ne dente contingantur.
 Ventris quidem dolore tentari negant ta-
 lum leporis habentes.

LVII. Lienem sedat fel apri vel suis
 potum, vel cervini cornus cinis in ace-
 to. Efficacissimè tamen inveteratus lien
 asini, ita ut in triduo sentiatur utilitas. Asi-
 nini pulli fimum, quod primum edidit,
 (poleam vocant Syri) dant in aceto mul-
 so: datur & equi lingua inveterata ex vi-
 no præsentaneo medicamento, ut didicisse
 se ex barbaris Cæcilius Bion tradidit: &
 lien bubulus simili modo: recens autem
 assus vel elixus in cibo. In vesicâ quo-
 que bovis alii capita XX. tusa, cum ace-
 ti sextario, imponuntur ad lienis dolores.

Eâdem ex causâ emi lienem vituli, quanti indicatus sit, jubent magi, nullâ pretii cunctatione: quoniam hoc quoque religiosè pertineat: divisumque per longitudinem adnecti tunicæ utrimque, & induentem pati decidere ad pedes: dein collectum in umbrâ arefacere. Cùm hoc fiat, simul residere lienem ægri vitiatum, liberarique morbo dicitur. Prodest & pulmo vulpium cinere siccatus, atque in aquâ potus. Item hœdorum lien impositus.

LVIII. 14. Alvum sistit cervi sanguis: item cornus cinis: jecur aprinum ex vino potum citra salêm recensque: item assum suillum, vel hircinum decoctum ad quintam heminam in vino. Coagulum leporis in vino ciceris magnitudine: aut si febris sit, ex aquâ. Aliqui & gallam adjiciunt, alii per se leporis sanguine contenti sunt lacte cocto. Equini fimi cinis in aquâ potus. Taurini cornus veteris ex parte imâ cinis, inspersus potioni aquæ. Sanguis hircinus in carbone decoctus: corium caprinum cum suo pilo decoctum, succo epoto.

Coagulum equi, & sanguis caprinus, vel medulla, vel jecur, alvum solvit: Fel lupi cum elaterio umbilico illigatum. Vel lactis equini potus: item caprini cum sale & melle. Capræ fel cum cyclamini succo & aluminis momento. Aliqui & nitrum & aquam adjecisse malunt. Fel tauri
cum

cum absinthio tritum ac subditum pastillo.
Butyrum largiùs sumptum.

Coeliacis & dysentericis medetur jectur vaccinum. Cornus cervini cinis tribus digitis captus in portione aquæ. Coagulum leporis subactum in pane: si verò sanguinem detrahunt, in polentâ. Aprini vel suilli vel leporini fimi cinis, inspersus portioni tepidi vini. Vituli quoque jus vulgari-ter datum, inter auxilia coeliacorum & dysentericorum tradunt. Lactis asinini potus utilior, addito melle. Nec minùs efficax fimi cinis ex vino utrique vitio. Item polea suprâ dicta. Equi coagulum, quod aliqui hippacen appellant, etiam si sanguinem detrahant, vel fimi cinis, dentiumque ejusdem tusorum farina, salutaris dicitur: & bubuli lactis decocti potus. Dysentericis addi mellis exiguum præcipiunt: & si tormina sint, cornus cervini cinerem: aut fel taurinum cumino mixtum, & cucurbitæ carnes umbilico imponere. Caseus recens vaccinus immittitur ad utrumque vitium. Item butyrum heminis quatuor, cum resinæ terebinthinæ sextante, aut cum malvâ decoctâ, aut rosa-ceo. Datur & sebum vitulinum, aut bubulum. Item medullæ excoquantur cum farinâ ceræque exiguo, & oleo, ut forberi possint. Medulla & in pane subigitur. Lac caprinum ad dimidias partes de-

coctum. Si sint & tormina, additur protropum. Torminibus satis esse remedii in leporis coagulo poto e vino tepido, vel semel, arbitrantur aliqui. Cautiores & sanguine caprino cum farinâ hordeaceâ & resinâ ventrem illinunt. Ad omnes epiphoras ventris illini caseum mollem suadent: veterem autem in farinâ tritum, coeliacis & dysentericis dari, cyatho casei in cyathis vini tribus. Sanguis caprinus decoctus cum medullâ dysentericis. Jecur assum capræ coeliacis subvenit, magisque etiam hirci, in vino austero decoctum potumque, vel ex oleo myrteo umbilico impositum. Quidam decoquunt a tribus sextariis aquæ ad heminam, additâ rutâ. Utuntur & liene asso capræ hircive, & sevo hirci in pane qui cinere coctus sit: capræ, a renibus maximè, ut per se hauriatur protinus: inque modicè frigidâ sorberi jubent. Aliqui & in aquâ decoctum sebum admixtâ polentâ, & cumino, & anetho, acetoque. Illinunt & ventrem coeliacis, fimo cum melle decocto. Utuntur ad utrumque vitium & coagulo hœdi in vino myrtite, magnitudine fabæ poto: & sanguine ejusdem in cibum formato, quem sanguiculum vocant. Infundunt dysentericis & glutinum taurinum aquâ calidâ resolutum. Inflationes discutit vitulinum fimum in vino decoctum. Intestinorum vitiis magnopere pro-

est coagulum cervorum, decoctum cum lente betâque, atque in cibo sumptum. Leporis pilorum cinis cum melle decoctus. Lactis caprini potus, decocti cum malvâ, exiguo sale addito. Si & coagulum addatur, majoribus emolumentis fiat. Eadem vis est & in sevo caprino in forbitione aliquâ, uti protinus hauriatur frigida aqua. Item feminum hœdi cinis rupta intestina sarcire mirè traditur. Fimum leporis cum melle decoctum, & quotidie fabæ magnitudine sumptum, ita ut deploratos sanaverint. Laudant & caprini capitis cum suis pilis decocti succum.

LIX. Tenesmos, id est, crebra & inanis voluntas defurgendi, tollitur potu lacte asinino: item bubulo. Tæniarum genera pellit cervini cornus cinis potus. Quæ in excrementis lupi diximus inveniri ossa, si terram non attigerint, colo medentur, adalligata brachio. Polea quoque suprâ dicta magnopere prodest in sapâ decocta. Item suilli fimi farina addito cumino in aquâ rutæ decoctæ. Cornus cervini teneri cinis, cochleis Africanis cum testâ suâ tusis mixtus, in vini potione.

LX. 15. Vesicæ calculorumque cruciatibus auxiliatur urina apri, & ipsa vesica pro cibo sumpta: efficacius, si prius fumo maceretur utrumque. Vesicam elixam mandi oportet: & a muliere, feminae suis. In-

veniuntur & in jocineribus eorum lapilli; aut duritie lapillis similes, candidi, sicuti in vulgari sue: quibus contritis atque potis in vino, pelli calculos aiunt. Ipsi apro tam gravis sua urina est, ut nisi egestâ, fugæ non sufficiat, ac velut devinctus opprimatur. Exuri illâ tradunt eos. Leporis renes inveterati, in vino poti, calculos pellunt. In pernâ suum articulos esse diximus, quorum decoctum jus facit urinæ utile. Asini renes inveterati, tritique, & in vino mero dati, vesicæ medentur. Calculos expellunt lichenes equini ex vino aut mulso poti diebus XL. Prodest & unguæ equinæ cinis, in vino, aut aquâ. Item fimum caprarum in mulso, efficacius silvestrium. Pili quoque caprini cinis. VENDORUM carbunculis, cerebrum apri vel suis, sanguisque. Vitia verò, quæ in eadem parte serpunt, jecur eorum combustum, maximè juniperi ligno, cum chartâ & arrhenico sanat: fimi cinis: fel bubulum cum alumine Ægyptio ac myrrhâ ad crassitudinem mellis subactum, insuper betâ ex vino coctâ impositâ: caro quoque. Manantia verò ulcera, sebum cum medullâ vituli in vino decoctum: fel caprinum cum melle rubique succo: vel si serpant, fimum etiam prodesse cum melle dicunt, aut cum aceto, & per se butyrum. Testium tumor sevo vituli, addito

nitro cohibetur : vel fimo ejusdem ex aceto decocto. Urinæ incontinentiam cohibet vesica aprina, si assa mandatur. Ungularum apri vel suis cinis potioni inspersus. Vesica feminæ suis combusta ac pota : item hœdi, vel pulmo : cerebrum leporis in vino : ejusdem testiculi tosti, vel coagulum cum anserino adipe in polentâ : renes asinini in mero triti potique. Magi verrini genitalis cinere poto ex vino dulci demonstrant urinam facere in canis cubili, ac verba adjicere, « ne ipse urinam faciat, ut canis, in suo cubili ». Rursus ciet urinam vesica suis, si terram non attigerit, imposita pubi.

LXI. Sedis vitiis præclarè prodest fel ursinum cum adipe. Quidam adjiciunt spumam argenti ac thus. Prodest & butyrum cum adipe anserino ac rosaceo. Modum ipsæ res statuunt, ut sint illitu faciles. Præclarè medetur & taurinum fel, in linteolis concerptis : rimasque perducit ad cicatricem. Inflationibus in eâ parte, sebum vituli, maximè ab inguinibus cum rutâ : ceteris vitiis medetur sanguis caprinus cum polentâ. Item fel caprinum condylomatis per se. Item fel lupinum ex vino. Panos & apostemata in quacumque parte sanguis ursinus discutit : item taurinus aridus tritus. Præcipuum tamen remedium traditur in calculo onagri : quem dicitur, cùm in-

terficiatur, reddere urinâ, liquidiores initio, sed in terrâ spissantem se. Hic adaligatus femini, omnes impetus discutit, omnique suppuratione liberat. Est autem rarus inventu, nec ex omni onagro, sed celebri remedio. Prodest & urina asini cum melanthio. Et unguæ equinæ cinis cum oleo & aquâ illitus. Sanguis equi, præcipuè admiffarii: & sanguis bubulus: item fel. Caro quoque eisdem effectus habet calida imposita: & unguæ cinis ex aquâ aut melle: urina caprarum: hircorum quoque carnes in aquâ decoctæ: aut fimum ex his cum melle decoctum: verrinum fel: urina suum in lanâ imposita. Femina adteri adurique equitatu notum est. Utilissimum est ad omnes inde causas, spumam equi ex ore, inguinibus illinire. Inguina & ex ulcerum causâ intumescunt. Remedio sunt equi setæ tres totidem nodis alligatæ intra ulcus.

LXII. 16. Podagris medetur ursinus adeps, taurinumque sebum pari pondere & ceræ. Addunt quidam hypocisthida & gallam. Alii hircinum præferunt sebum cum fimo capræ, & croco, sinapive, vel caulibus ederæ tritis, ac perdicio, vel flore cucumeris silvestris. Item bovis fimum cum aceti fæce. Magnificant & vituli, qui nondum herbam gustaverit, fimum: aut per se sanguinem tauri: vulpem decoctam

vivam, donec ossa tantum restent: lupumve vivum oleo cerati modo incoctum: sebum hircinum, cum helxines parte æquâ, sinapis tertiâ: fimi caprini cinerem cum axungia. Quin & ischiadicos uri sub pollicibus pedum eo fimo fervente, utilissimè tradunt. Articulorumque vitiis fel ursinum utilissimum esse, & leporis pedes adalligatos. Podagras quidem mitigari pede leporis viventis absciso, si quis secum adsiduè habeat. Perniones ursinus adeps, rimasque pedum omnes farcit: efficacius alumine addito: sebum caprinum: dentium equi farina: aprinum vel suillum fel: cum adipe pulmo impositus: etsi subtriti sint contusive offensatione: si verò adusti frigore, leporini pili cinis. Eiusdem pulmo contusis dissectus, aut pulmonis cinis. Sole adusta, sevo asinino aptissimè curantur: item bubulo cum rosaceo. Clavos & rimas callique vitia, fimum apri vel suis recens illitum, ac tertio die solutum sanat: talorum cinis, pulmo aprinus, aut suillus, aut cervinus. Adtritus calceamentorum, urina asini cum luto suo illita. Clavos sebum bubulum cum thuris polline. Perniones verò corium combustum: meliùs si ex veteri calceamento: injurias e calceatu, ex oleo corii caprini cinis. Varicum dolores sedat fimi vitulini cinis, cum lili bulbis decoctus, addito melle modico: itemque

omnia inflammata, & suppurationes. Sed podagricis prodest & articulariis morbis, e maribus præcipuè vitulis. Articulorum adtritris, fel aprorum vel suum, linteo calfacto impositum: vitulique qui nondum herbam gustaverit, fimum: item caprinum cum melle in aceto decoctum. Ungues scabros sebum vituli emendat: item caprinum admixtâ sandarachâ. Verrucas verò aufert vitulini fimi cinis ex aceto: asini urinæ lutum.

LXIII. Comitiali morbo testes ursinos edisse prodest, vel aprinos bibisse ex lacte equino aut ex aquâ: item aprinam urinam ex aceto mulso: efficacius, quæ inaruerit in vesicâ suâ. Dantur & suum testiculi inveterati tritique in suis lacte, præcedente vini abstinentiâ, & sequente continuis diebus. Dantur & leporis sale custoditi pulmones, cum thuris tertiâ parte, in vino albo, per dies xxx. Item coagula ejusdem. Asini cerebrum ex aquâ mulsâ, infumatum prius in foliis, semunciâ per dies: vel unguarum ejus cinis cochlearibus binis toto mense potus. Item testes sale adfervati & inspersi potioni, in asinarum maximè lacte, vel ex aquâ. Membrana partûs earum, præcipuè si marem pepererint, olfactata accedente morbo comitialium resistit. Sunt qui e mare nigroque cor edendum cum pane sub dio

primâ aut secundâ Luna præcipiant. Alii carnem, aliqui sanguinem aceto dilutum per dies XL. bibendum. Quidam urinam equi aquæ ferrariæ ex officinis miscent, eâdemque potione & lymphaticis medentur. Comitibus datur & lactis equini potus, lichenque in aceto mulso bibendus. Dantur & carnes caprinæ in rogo hominis tostæ, ut volunt magi. Sevum earum cum felle taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat, potum verò ex aquâ sublimè. Morbum ipsum deprehendit capri- ni cornus, vel cervini usti nidor. Sideratis urina pulli asinini nardo admixto per- unctione prodesse dicitur.

LXIV. Regio morbo cornus cervini cinis: sanguis asinini pulli ex vino. Item fimum asinini pulli, quod primum edidit a partu, datum fabæ magnitudine e vino medetur intra diem tertium. Eadem & ex equino pullo similiterque vis est.

LXV. Fractis ossibus præsentaneus maxillarum apri cinis vel suis. Item lardum elixum atque circumligatum mirâ celeritate solidat. Costis quidem fractis laudatur unicè caprinum fimum ex vino vetere: aperit, extrahit, persanat.

LXVI. Febres arcet cervorum caro, ut diximus. Eas quidem quæ certo dierum numero redeunt, oculus lupi dexter

falsus adalligatusque, si credimus magis. Est genus febrium, quod amphemerinon vocant. Hoc liberari tradunt, si quis e venâ auris asini tres guttas sanguinis in duabus heminis aquæ hauserit. Quartanis magi excrementa felis cum digito bubonis adalligari jubent, & ne recidant, non removeri septeno circuitu. Quis hoc, quæso, invenire potuit? quæve est ista mixtura: cur digitus potissimum bubonis electus est? Modestiores jecur felis decrescente Lunâ occisæ inveteratum sale, vino bibendum ante accessiones quartanæ dixere. Idem magi fimi bubuli cinere consperso puerorum urinâ illinunt digitos pedum, manibusque leporis cor adalligant. Coagulum ante accessiones propinant. Datur & caseus caprinus recens cum melle, diligenter sero expresso.

LXVII. 17. Melancholicis finum vituli in vino decoctum remedio est. Lethargicos excitat asini lichen, naribus illitus ex aceto: caprini cornus nidor aut pilorum: jecur aprinum. Itaque & veterosis datur. Phthisicis medentur, jecur lupi ex vino, macræ suis feminæ herbis pastæ lardum, carnes asininæ ex jure sumptæ. Hoc genere maximè in Achaiâ curant id malum. Fimi quoque aridi, sed pabulo viridi pasto bove, fumum arundine haustum prodesse tradunt. Bubuli quoque cor-

nus mucronem exustum, duorum cochlearium mensurâ, addito melle, pilulis devoratis. Capræ sevo in pulte ex alicâ & phthisin & tussim sanari, vel recenti, cum mulso liquefacto, ita ut uncia in cyathum addatur, rutæque ramo permisceatur, non pauci tradunt. Rupicapræ sevi cyatho, & lactis pari mensurâ, deploratum phthisicum convaluisse certus auctor adfirmat. Sunt & qui suum fimi cinerem profuisse scripserint in passo: & cervi pulmonem, maximè subulonis, siccatum in fumo, tritumque in vino.

LXVIII. Hydropicis auxiliatur urina vesicæ apri paulatim data in potus: efficacius quæ inaruerit cum vesicâ suâ. Fimi taurini maximè, sed & bubuli, de armenivis loquor (quod bolbiton vocant,) cinis cochlearium trium in mulsi heminâ, bovis feminæ in mulieribus, & ex altero sexu in viris, quod veluti mysterium occultarunt magi. Fimum vituli masculi illitum: fimi vitulini cinis cum femine staphylini, æquâ portione ex vino: sanguis caprinus cum medullâ. Efficaciorem putant hircorum, utique si lentisco pascantur.

LXIX. Igni sacro ursinus adeps illinitur: maximè qui est ad renes: vitulinum fimum recens, vel bubulum: caseus caprinus siccus cum porro: ramenta pellis cervinæ dejecta pumice, ex aceto trita.

Rubori cum prurigine, equi spuma, aut ungulæ cinis. Eruptionibus pituitæ, asinini fimi cinis cum butyro. Papulis nigris, caseus caprinus siccus ex melle & aceto in balineis, oleo remoto. Pusulis suilli fimi cinis aquâ illitus, vel cornus cervini cinis.

LXX. Luxatis recens fimum aprinum vel suillum: item vitulinum: verris spuma recens cum aceto: fimum caprinum cum melle: bubula caro imposita. Ad tumores fimum suillum in testâ calfactum tritumque cum oleo. Duritias corporum omnes mollit optimè adeps e lupis illitus. In his quæ rumpere opus est plurimum proficit fimum bubulum in cinere calfactum, aut caprinum in vino vel aceto decoctum. In furunculis sebum bubulum cum sale: aut si dolor est, intinctum oleo, liquefactum sine sale: simili modo caprinum.

LXXI. In ambustis ursinus adeps cum lili radicibus: aprinum aut suillum fimum inveteratum: fetarum ex his e penicillis tectoriis cinis cum adipe tritus: tali bubuli cinis cum cerâ & medullâ cervinâ, vel tauri: fimum leporis. Et caprarum fimum sine cicatrice sanare dicitur. Glutinum præstantissimum fit ex auribus taurorum, & genitalibus. Nec quidquam efficacius prodest ambustis. Sed adulteratur nihil æquè, quibusvis pellibus inveteratis,

calceamentisque etiam decoctis. Rhodi-
cum fidelissimum : eoque pictores & me-
dici utuntur. Id quoque quò candidius, eò
probatius. Nigrum & lignosum damnatur.

LXXII. Nervorum doloribus, fimum ca-
prinum decoctum in aceto cum melle, uti-
lissimum putant, vel putrescente nervo.
Spasmata, & percussu vitiata, fimo apru-
gno curant, vere collecto & arefacto. Sic
& quadrigas agentes tractos, rotâve vul-
neratos : & quoquo modo fanguine con-
tuso, vel si recens illinatur. Sunt qui in-
coxisse aceto utilius putent. Quin & in potu
farinam eam ruptis, convulneratisque, &
eversis, ex aceto salutarem promittunt.
Recentiores cinerem ejus ex aquâ bi-
bunt. Feruntque & Neronem principem
hac potione recreari solitum, cum sic quo-
que se trigario adprobare vellet. Proxi-
mam suillo fimo vim putant.

LXXIII. 18. Sanguinem sistit coagulum
cervinum ex aceto : item leporis. Hujus
quidem & pilorum cinis : item ex fimo asi-
ni cinis illitus. Efficacior vis e maribus
aceto admixto, & in lanâ ad omne pro-
fluvium imposito : similiter ex equino ca-
pite & femine. Aut fimi vitulorum cinis
illitus ex aceto. Item caprini cornus vel
fimi ex aceto. Hircini verò jocineris dis-
secti sanies efficacior : & cinis utriusque ex
vino potus, vel naribus ex aceto illitus.

Hircini quoque utris vinarii dumtaxat cinis, cum pari pondere resinæ: quo genere sistitur sanguis, & vulnus glutinatur. Hœdinum quoque coagulum ex aceto, & feminum ejus combustorum cinis, similiter pollere traduntur.

LXXIV. Ulcera sanat in tibiis cruribusque adeps ursinus, admixtâ rubricâ. Quæ verò serpunt, fel aprugnum cum resinâ & cerusâ: maxillarum apri vel suum cinis: fimum suum illitum siccum: item caprinum ex aceto subfervefactum. Cetera purgantur & explentur butyro: cornus cervini cinere, vel medullâ cervi: felle taurino cum cyprino oleo, aut irino. Fimum recens suum, vel inveterati farina illinitur vulneribus ferro factis. Phagedænis & fistulis immittitur fel tauri, cum succo porri, aut lacte mulierum, vel sanguis aridus cum cotyledone herbâ. Carcinomata curat coagulum leporis, cum pari pondere capparum adpersum vino: gangrænas ursinum fel pennâ illitum: asini ungularum cinis ea quæ serpunt ulcera inspersus. Sanguis equi adrodit carnes septicâ vi: item fimi equini inveterati favilla. Ea verò quæ phagedænas vocant in ulcerum genere, corii bubuli cinis cum melle. Caro vituli recentia vulnera non patitur intumescere: fimum bubulum cum melle. Feminum vituli cinis fordida ulcera, &

quæ cacoethe vocant, e lacte mulieris fanat. Recentes verò plagas ferro illatas, glutinum taurinum liquefactum, tertio die solutum. Caseus caprinus siccus ex aceto ac melle, purgat ulcera. Quæ verò serpant, cohibet sebum cum cerâ: item additâ pice ac sulphure percurat. Similiter proficit ad cacoethe, hœdi feminum cinis e lacte mulieris. Et ad carbunculos, suis feminae cerebrum tostum illitumque.

LXXV. Scabiem hominis, asininæ medullæ maximè abolent, & urinæ ejusdem cum suo luto illitæ. Butyrum etiam, quod in jumentis proficit cum resinâ calidâ: glutinum taurinum in aceto liquefactum, additâ calce: fel caprinum cum aluminis cinere: boas finum bubulum: unde & nomen traxere. Canum scabies sanantur bubulo sanguine recenti: iterumque, cum inarescat, illito, & postero die abluto cinere lixivio.

LXXVI. Spinæ ac similia corpori extrahuntur felis excrementis: item capræ ex vino: coagulo quocumque, sed maximè leporis, cum thuris polline & oleo, aut cum visci pari pondere, aut cum propoli. Cicatrices nigras sebum asininum reducit ad colorem. Fel vituli extenuat calcfactum. Medici adjiciunt myrrham & mel & crocum, æreâque pyxide condunt. Aliqui & florem æris admiscent.

LXXVII. 19. Mulierum purgationes adjuvant fel tauri in lanâ succidâ adpositum. Olympias Thebana addit hyssopum & nitrum. Cornus cervini cinis potus. Item vulvas laborantes, illitu quoque: & fel taurinum cum opio adpositum obolis binis. Vulvas & pilo cervino suffire prodest. Tradunt cervas, cum senserint se gravidas, lapillum devorare: quem in excrementis repertum, aut in vulvâ (nam & ibi invenitur) custodire partus adalligatum. Inveniuntur & ossicula in corde & in vulvâ, perquam utilia gravidis parturientibusque. Nam de pumice, qui in vaccarum utero simili modo invenitur diximus in naturâ boum. Lupi adeps illitus vulvas mollit: dolores earum, jecur. Carnes lupi edisse parituris prodest: aut si incipientibus parturire sit juxtâ qui ederit, adeo ut etiam contra illatas noxias valeat. Eundem supervenire, perniciosum est. Magnus & leporis usus mulieribus. Vulvas adjuvat pulmo aridus potus: profluvia jecur cum Samiâ terrâ ex aquâ potum: secundas coagulum: caventur pridiana balinea. Illitum quoque cum croco & porri succo, velle-re adpositum, abortus mortuos expellit. Si vulvæ leporum in cibis sumantur, mares concipi putant. Hoc & testiculis eorum, & coagulo profici. Conceptum leporis utero exemptum his quæ parere desierint,

restibilem fecunditatem adferre. Sed pro conceptu, leporis faniem & viro magi propinant. Item virgini novem grana fimi, ut stent perpetuò mammæ. Coagulum quoque ob id cum melle illinunt: sanguinem, ubi evulsos pilos renasci nolunt. Inflationi vulvæ, fimum aprugnum suillumve cum oleo illini prodest. Efficaciùs sistit farina aridi, ut adspergatur potioni, vel si gravidæ aut puerperæ torqueantur. Lacte suis potu cum mulso adjuvantur partus mulierum. Per se verò potum, deficientia ubera puerperarum replet. Eadem circumlita sanguine feminæ suis, minùs crescent. Si dolent, lactis asinini potu mulcentur: quod addito melle sumptum, & purgationes earum adjuvat. Sanat & vulvarum exulcerationes ejusdem animalis sebum inveteratum, & in vellere adpositum duritiem vulvarum emollit. Per se verò recens vel inveteratum, ex aquâ illitum, psilothrimum obtinet. Ejusdem animalis lien inveteratus, ex aquâ illitus mammis, abundantiam facit: vulvas suffitu corrigit. Ungulæ asininæ suffitæ partum maturant, ut vel abortus evocetur: nec aliter adhibentur, quoniam viventem partum necant. Ejusdem animalis fimum si recens imponatur, profluvia sanguinis mirè sedare dicitur. Necnon & cinis ejusdem fimi, qui & vulvæ prodest impositus. Equi spumâ

illitâ per dies XL. prius quàm primùm nascantur pili, restinguuntur. Item cornus cervini decocto: melius, si recentia sint cornua. Lacte equino juvantur vulvæ collutæ. Quòd si mortuus partus sentiat, lichen ex aquâ dulci potus ejicit. Item unguæ suffitu, aut fimum aridum. Vulvas procidentes butyrum infusum sistit. Induratum vulvam aperit fel bubulum rosaceo admixto, foris vellere cum resinâ terebinthinâ imposito. Aiunt & suffitu fimi e mare bove, procidentes vulvas reprimi, partus adjuvari: conceptus verò vaccini lactis potu. Sterilitatem ob partûs vexationem fieri, certum est. Hanc emendari Olympias Thebana adfirmat felle taurino, & adipe serpentium, & æruginè, ac melle, medicatis locis ante coitus. Vitulinum quoque fel, in purgationibus sub coitu adpersum vulvæ, etiam duritiam ventris emollit, & profluvium minuit umbilico peruncto, atque in totum vulvæ prodest. Modum statuunt fellis pondere denarii, opii tertiâ, admixto amygdalino oleo, quantum esse satis appareat: hoc in vellere imponunt. Masculi fel vituli, cum mellis dimidio tritum, servatur ad vulvas. Carnem vituli si cum aristolochiâ inassatam edant circa conceptum, mares parituras promittunt. Medulla vituli in vino ex aquâ decoctâ cum sevo,

exulcerationibus vulvarum imposita prodest. Item adeps vulpium, excrementumque felium: hoc cum resinâ & rosaceo impositum. Caprino cornu suffiri vulvam, utilissimum putant. Silvestrium caprarum sanguis cum palmâ marinâ pilos detrahit. Ceterarum verò fel, callum vulvarum emollit inspersum, & a purgatione conceptus facit. Sic quoque psilothri vis efficitur, si evulsis pilis triduo fervetur illitum. Profluvium, quamvis immensum, urinâ capræ potâ sisti, obstetrices promittunt, & si fimum illinatur. Membrana caprarum in quâ partus editur, inveterata, potuque sumpta in vino, secundas pellit. Hædorum pilis suffiri vulvas, utile putant, & in profluvio sanguinis coagulum bibi, aut hyoscyami semen imponi. E bove silvestri nigro si sanguine ricini lumbi perungantur mulieri, tædium Veneris fieri, dicit Osthanes. Idem amoris, potâ hirci urinâ, admixtâ propter fastidium nardo.

LXXVIII. Infantibus nihil butyro utilius, per se & cum melle: privatim & in dentitione, & ad gingivas, & ad oris ulcera. Dens lupi adalligatus infantium pavores prohibet, dentientique morbos: quod & pellis lupina præstat. Dentes quidem eorum maximi equis quoque adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur. Leporum coagulo illito ubere sistitur infan-

tium alvus. Jecur asini, admixtâ modicè panace, instillatum in os, a comitialibus morbis & aliis infantes tuetur: hoc XL. diebus fieri præcipiunt. Et pellis asini injecta, impavidos infantes facit. Dentes qui equis primùm cadunt, facilem dentitionem præstant infantibus adalligati: efficacius, si terram non attigere. Lien bubulus in melle editur: & illinitur ad lienis dolores: ad ulcera manantia cum melle. Lien vituli in vino decoctus, tritusque & illitus, ulcuscula oris. Cerebrum capræ magi per anulum aureum trajectum, prius quàm lac detur, infantibus instillant contra comitiales, ceterosque infantium morbos. Caprinum fimum inquietos infantes adalligatum panno cohibet, maximè puellas. Lacte caprino, aut cerebro leporum perunctæ gingivæ, faciles dentitiones faciunt.


LXXIX. Somnos fieri lepore sumpto in cibis Cato arbitratur: vulgus & gratiam corpori in IX. dies, friyolo quidem joco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tantâ persuasione. Magi felle capræ, sacrificatæ dumtaxat, illito oculis, vel sub pulvino posito, somnum allici dicunt. Sudores inhibet cornus caprini cinis e myrteo oleo perunctis.

LXXX. Coitus stimulat fel aprugnum illitum: item medullæ suum haustæ: se-

vum asininum, anseris masculi adipe admixto illitum. Item a coitu equi Virgilio quoque descriptum virus, & testiculi equini aridi, ut potioni interi possint, dexterve asini testis in vino potus pro portione, vel adalligatus brachiali. Eiusdem a coitu spuma collecta roseo panno, & inclusa argento, ut Osthanes tradit. Salpe genitale in oleum fervens mergi jubet septies, eoque perungi pertinentes partes. Bialcon cinerem ex eodem bibi, vel tauri a coitu urinam, lutoque ipso illini pubem. At e diverso muris fimo illito cohibetur virorum Venus. Ebrietatem arcet pulmo apri aut suis assus, jejuni cibo sumptus eo die: item hœdinus.

LXXXI. 20. Mira præterea traduntur in eisdem animalibus. Vestigium equi excussum unguâ (ut solet plerumque) si quis collectum reponat, singultûs remedium esse recordantibus quonam loco id reposuerint. Jecur luporum equinæ unguæ simile esse, & rumpi equos qui vestigia luporum sub equite sequantur. Talis suum discordiæ vim quamdam inesse. In incendiis, si fimi aliquid egeratur e stabulis, facilius extrahi, nec recurrere oves bovesque. Hircorum carnes virus non resipere, si panem hordeaceum eo die, quo interficiantur, ederint, laserve dilutum biberint. Nullas verò teredinem

sentire, Lunâ decrescente induratas sale. Adeoque nihil omissum est, ut leporem surdum celerius pinguescere reperiamus. Animalium verò medicinas: si sanguis profluat jumentis, suillum fimum ex vino infundendum. Boum autem morbis sebum, sulphur vivum, allium silvestre, ovum coctum: omnia hæc trita in vino danda, aut vulpis adipem. Carnem caballinam discoctam, potu suum morbis mederi. Omnium verò quadrupedum morbis, capram solidam cum corio, & ranam rubetam discoctas. Gallinaceos non attingi a vulpibus, qui jecur animalis ejus aridum ederint: vel si pelliculâ ex eo collo induta, galli inierint. Similia in felle mustelæ. Boves in Cypro contra tormina, hominum excrementis sibi mederi. Non subteri pedes boum, si prius cornua pice liquidâ perungantur. Lupos in agrum non accedere, si capti unius pedibus infractis, cultroque adacto, paulatim sanguis circa fines agri spargatur: atque ipse defodiat in eo loco, ex quo cœperit trahi. Aut si vomerem, quo primus sulcus eo anno in agro ductus sit, excussum aratro, focus Larium, quo familia convenit, absumat: ac lupum nulli animali nociturum in eo agro, quamdiu id fiat. Hinc deinde revertemur ad animalia sui generis, quæ aut placida non sunt, aut fera.



LIBER XXIX.

Medicinæ ex reliquis animalibus.

I. I. **N**ATURA remediorum, atque multitudo instantium ac præteritorum, plura de ipsâ medendi arte cogunt dicere: quamquam non ignarus sim, nullis ante hæc Latino sermone condita, ancepsque lubricum esse rerum omnium novarum, talium utique, tam sterilis gratiæ, tantæque difficultatis in promendo. Sed quoniam occurrere verisimile est omnium qui hæc noscant cogitationi, quonam modo exoleverint in medicinæ usu, quæ tam parata atque pertinentia erant: mirumque & indignum protinus subit, nullam artium inconstantiorum fuisse, & etiamnum sæpius mutari, cum sit fructuosior nulla: diis primum inventores suos adsignavit, & cælo dicavit. Necnon & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æsculapium fabulata, quoniam Tyndareum revocavisset ad vitam. Nec tamen cessavit narrare alios revixisse operâ suâ, clarâ

Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen dumtaxat remediis.

II. Sequentia ejus (mirum dictu) in nocte densissimâ latuere usque ad Peloponnesiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in insulâ Coe, in primis clarâ ac validâ, & Æsculapio dicatâ. Is cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus dei quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) templo cremato, instituisse medicinam hanc, quæ Clinice vocatur. Nec fuit postea quæstus modus: quoniam Prodicus Selymbriæ natus, e discipulis ejus, instituit quam vocant Iatralipticem, & unctoribus quoque medicorum ac mediastinis vectigal invenit.

III. Horum placita Chrysippus ingenti garrulitate mutavit, plurimumque & ex Chrysippo discipulus ejus Erasistratus, Aristotelis filiâ genitus. Hic Antiocho rege sanato centum talentis donatus est a rege Ptolemæo filio ejus, ut incipiamus & præmia artis ostendere.

IV. Alia factio (ab experimentis cognominant Empiricem) cœpit in Siciliâ, Acro-ne Agrigentino Empedoclis physici auctoritate commendato.

V. Dissederuntque hæ diu scholæ & omnes eas damnavit Herophilus, in musicos

zicos pedes venarum pulsu descripto per ætatum gradus. Deserta deinde & hæc facta est: quoniam necesse erat in eâ literas scire. Mutata & quam postea Asclepiades (ut retulimus) invenerat. Auditor ejus Themison fuit, qui quæ inter initia scripsit, illo mox recedente a vitâ, ad sua placita mutavit. Sed & illa Antonius Musa ejusdem auctoritate divi Augusti, quem contrariâ medicinâ gravi periculo exemerat. Multos præterea medicos, celeberrimosque ex iis Cassios, Calpetanos, Arruntios, Albutios, Rubrios. Ducena quinquagena H-s. annuâ mercede iis fuere apud principes. Q. verò Stertinius imputavit principibus, quòd festertiis quingenis annuis contentus esset: sexcena enim sibi quæstu Urbis fuisse numeratis domibus ostendebat. Par & fratri ejus merces a Claudio Cæsare infusa est: censusque, quamquam exhausti, operibus Neapoli exornatâ, heredi H-s. ccc. reliquere, quantum ad eam ætatem Arruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ adsectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam.

Eadem ætas Neronis principatu ad Thesalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, & rabie quadam in omni ævi medicos perorantem: quali pruden-

tiâ ingenioque, æstimari vel uno argumento abundè potest, cùm monumento suo (quod est Appiâ viâ) Iatronicen se inscripserit. Nullius histrionum equarumque trigarii comitator egressus in publico erat: cùm Crinas Massiliensis arte geminatâ, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride mathematicâ cibos dando, horasque observando, auctoritate eum præcessit. Nuperque centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnibusque aliis pæne non minori summâ exstructis. Hi regebant fata, cùm repenti civitatem Charmis ex eadem Massiliâ invasit, damnatis non solum prioribus medicis, verum & balineis: frigidâque etiam hibernis algoribus lavari persuasit. Mersit ægros in lacus. Videbamus fenes consulares usque in ostentationem rigentes. Quâ de re exstat etiam Annæi Senecæ adstipulatio. Nec dubium est, omnes istos famam novitate aliquâ aucupantes animâ statim nostrâ negotiari.

Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, TURBAM SE MEDICORUM PERISSE. Mutatur ars quotidie toties interpolis, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque est, ut quisque inter istos loquendo polleat, im-

peratorem illico vitæ nostræ necisque fieri: ceu verò non millia gentium sine medicis degant, nec tamen sine medicinâ: sicut populus Romanus ultra sexcentimum annum, nec ipse in accipiendis artibus lentus, medicinæ verò etiam avidus, donec expertam damnavit.

VI. Etenim percensere insignia priscorum in his moribus convenit. Cassius Hemina, ex antiquissimis auctor est, primum e medicis venisse Romam Peloponneso Archagatum Lyfaniæ filium, L. Æmilio, M. Livio coss. anno Urbis DXXXV. eique jus Quiritium datum, & tabernam in composito Acilio emptam ob id publicè. Vulnerarium eum fuisse e re dictum: mirèque gratum adventum ejus initio: mox a sævitiâ secandi urendique, transisse nomen in carnificem, & in tædium artem omnesque medicos: quod clarissimè intelligi potest ex M. Catone, cujus auctoritati triumphus atque censura minimùm conferunt: tantò plus in ipso est. Quamobrem verba ejus ipsa ponemus.

VII « Dicam de istis Græcis suo loco, Marce fili: quid Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit illorum literas inspicere, non perdiscere, vincam. Nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixisse: Quamdocumque ista gens suas literas dabit,

» omnia corrumpet. Tum etiam magis;
 » si medicos suos huc mittet. Jurarunt in-
 » ter se barbaros necare omnes medici-
 » nâ. Et hoc ipsum mercede faciunt, ut
 » fides iis sit, & facilè disperdant. Nos
 » quoque dictitant barbaros, & spurciùs
 » nos, quàm alios opicos, appellatione fœ-
 » dant. Interdixi tibi de medicis ».

VIII. Atque hic Cato DCV. anno Ur-
 bis nostræ obiit, LXXXV. suo, ne quis il-
 li defuisse publicè tempora, aut privatim
 vitæ spatia ad experiendum arbitretur.
 Quid ergo? damnatam ab eo rem utilissi-
 mam credimus? Minimè hercules: subji-
 cit enim quâ medicinâ & se & conjugem
 usque ad longam senectam perduxerit, iis
 ipsis scilicet, quæ nunc nos tractamus. Pro-
 fiteturque esse commentarium sibi, quo me-
 deatur filio, servis familiaribus, quem nos
 per genera usûs sui digerimus. Non rem
 antiqui damnabant, sed artem. Maximè
 verò quæstum esse immani pretio vitæ;
 recusabant. Ideo templum Æsculapii, etiam
 cùm reciperetur is deus, extra Urbem fe-
 cisse, iterumque in insulâ, traduntur. Et
 cùm Græcos Italiâ pellerent, diu post Ca-
 tonem, excepisse medicos. Augebo pro-
 videntiam illorum. Solam hanc artium
 Græcarum nondum exercet Romana gra-
 vitas in tanto fructu, paucissimi Quiritium
 attingere, & ipsi statim ad Græcos trans-

fugæ: immo verò auctoritas aliter quàm Græcè eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguæ, non est. Ac minùs credunt, quæ ad salutem suam pertinent, si intelligunt. Itaque hercule in hac artium solâ evenit, ut cuicumque medicum se professo statim credatur, cùm sit periculum in nullo mendacio majus. Non tamen illud intuemur, adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam: capitale nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. Quinimmo transit convicium, & intemperantia culpatur: utroque qui periire arguuntur. Sed decuriæ pro more censuris principum examinantur: inquisitio per parietes agitur: & qui de nummo judicet, a Gadibus columnisque Herculis arcessitur: de exilio verò non nisi XLV. electis viris datur tabella. At de iudice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri? Meritò, dum nemini nostrum libet scire quid salutis suæ opus sit. Alienis pedibus ambulamus: alienis oculis agnoscimus: alienam memoriâ salutamus: alienam vivimus operam. Perieruntque rerum naturæ pretia, & vitæ argumenta. Nihil aliud pro nostro habemus, quàm delicias.

Non deferam Catonem tam ambitiosæ artis invidiæ a me objectum, aut senatum illum, qui ita censebat: idque non criminibus artis arreptis, ut aliquis expectaverit. Quid enim venenorum fertilius, aut unde plures testamentorum insidiæ? Jam verò & adulteria etiam in principum domibus, ut Eudemi in Liviâ Drusi Cæsaris: item Valentis, in quâ dictum est reginâ. Non sint artis ista, sed hominum. Non magis hæc Urbi timuit Cato, ut equidem credo, quàm reginas. Ne avaritiam quidem arguam, rapacesque nundinas pendentibus fatis, & dolorum indicaturam, ac mortis arrham, aut arcana præcepta. Squamam in oculis emovendam potius, quàm extrahendam: per quæ effectum est, ut nihil magis prodesse videretur, quàm multitudo grassantium. Neque enim pudor, sed æmuli pretia summittunt. Notum est ab eodem Charmide unum ægrum ex provincialibus H-s. ducentis reconductum: Alconti vulnerum medico H-s. ̄. damnato ademisse Claudium principem. Eidemque in Galliâ exfulanti, & deinde restituto adquisitum non minùs intra paucos annos. Et hæc personis imputentur. Ne facem quidem aut inscitiam ejus turbæ arguamus, ipsorum intemperantiam in morbis, aquarum calidarum diverticulis: imperiosam inedia & ab iisdem deficienti.

bus cibos sæpius die ingestos, mille præ-
 terea pœnitentiæ modis, culinarum etiam
 præceptis & unguentorum mixturis, quan-
 do nullas omisere vitæ illecebras. Invehi
 peregrinas merces, conciliarique externa
 pretia, displicuisse majoribus crediderim
 equidem: non tamen hoc Catonem pro-
 vidisse, cùm damnaret artem. Theriace vo-
 catur excogitata compositio luxuriæ. Fit
 ex rebus externis, cùm tot remedia de-
 derit natura, quæ singula sufficerent. Mi-
 thridaticum antidotum ex rebus LIV. com-
 ponitur, interim nullo pondere æquali, &
 quarumdam rerum sexagesimâ denarii unius
 imperatâ. Quo deorum perfidiam istam
 monstrante? Hominum enim subtilitas tanta
 esse non potuit. Ostentatio artis & por-
 tentosa scientiæ venditatio manifesta est.
 Ac ne ipsi quidem illam noverere. Com-
 perique vulgò pro cinnabari Indicâ in me-
 dicamenta minium addi, inscitiâ nominis,
 quod esse venenum docebimus inter pig-
 menta. Verùm hæc ad singulorum salu-
 tem pertinent. Illa autem, quæ timuit
 Cato, atque providit, innocentiora multò
 & parva opinatu, quæ proceres artis ejus
 de semet ipsi fateantur. Illa perdidere im-
 perii mores, illa quæ sani patimur, lucta-
 tus, ceromata, ceu valetudinis causâ in-
 stituta: balineæ ardentes, quibus persua-
 sere in corporibus cibos coqui, ut nemo

non minùs validus exiret, obedientissimè verò efferrentur. Potus deinde jejunorum ac vomitiones, & rursus perpotationes, ac pilorum eviratio instituta resinis eorum: itemque pectines in feminis quidem publicati. Ita est profectò: lues morum, nec aliunde major quàm e medicinâ, vatem prorsus quotidie facit Catonem, & oraculum: « Satis esse ingenia Græcorum » inspicere, non perdiscere».

Hæc fuerint dicenda pro senatu illo; sexcentisque populi Romani annis, adversus artem, in quâ conditione insidiosissimâ auctoritatem pessimis boni faciunt: simul contra attonitas quorundam persuasiones, qui prodesse nisi pretiosa non putant. Neque enim dubitaverim aliquibus fastidio futura, quæ dicentur animalia: at non Virgilio fuit nominare formicas nullâ necessitate, & curculiones, ac lucifugis congesta cubilia blattis: non Homero inter prælia deorum improbitatem muscæ describere: non naturæ gignere ista, cum gignat hominem. Proinde causas quisque & effectus, non res, æstimet.

IX. Ordinemur autem a confessis, hoc est, lanis ovisque, ut obiter rebus præcipuis honos in primis perhibeatur. Quædam etiam sic alienis locis, tamen obiter dici necesse erit. Nec deerat materiæ pompa, si quidquam aliud intueri liberet, quàm

fidem operis. Quippe inter prima proditis etiam ex cinere phœnicis nidoque medicinis, ceu verò id certum esset, atque non fabulosum. Irridere est, vitæ remedia post millesimum annum reditura monstrare.

2. Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes a nubentibus attingi jubentes. Præterque cultum & tutelam contra frigora, succidæ plurima præstant remedia ex oleo vinoque, aut aceto, prout quæque mulceri morde-
rive opus sit, & adstringi, laxarive, luxatis membris, dolentibusque nervis impositæ, & crebrò suffusæ. Quidam etiam salem admiscent luxatis. Alii cum lanâ rutam tritam adipemque imponunt. Item contusis tumentibusque. Halitus quoque oris gratiores facere traditur, confricatis dentibus atque gingivis, admixto melle. Prodest & phreneticis suffitu. Sanguinem in naribus sistit cum oleo rosaceo: & alio modo indita auribus obturatis spissius. Quin & ulceribus vetustis imponitur cum melle. Vulnera ex vino, vel aceto, vel aquâ frigidâ & oleo expressa sanat. Arietis vellerâ lota frigidâ ex oleo madefacta, in muliebribus malis inflammationes vulvæ sedant. Et si procidant, suffitu reprimunt. Succida lana imposita subditaque mortuos partus evocat. Sistit etiam profluvia earum. At canis rabiosi morsibus inculcatâ post

diem septimum solvitur. Reduvias sanat ex aquâ frigidâ. Eadem nitro, sulphure, oleo, aceto, pice liquidâ ferventibus tincta, quàm calidissima imposita bis die, lumborum dolores sedat. Sanguinem sistit ex ariete succida, articulos extremitatum præligans. Laudatissima omnis e collo: natione verò Galatica, Tarentina, Attica, Milesia. Succidam imponunt & desquamatis, percussis, lividis, incussis, collisis, contritis, dejectis, capitis & aliis doloribus, stomachi inflammationi, ex aceto & rosaceo. Cinis ejus illinitur adtritis, vulneratis, ambustis. Et in oculorum medicamenta additur: item in fistulas, auresque suppuratas. Ad hæc detonsam eam, alii evulsam, decisis summis partibus siccant, carpuntque, & in fictili crudo componunt, ac melle perfundunt, uruntque. Alii assulis tedæ subjectis, & subinde interstratis, oleo adpersam accendunt, cineremque in labellis aquâ additâ confricant manu, & considerare patiuntur, idque sæpius mutant aquam, donec linguam adstringat leniter, nec mordeat. Tunc cinerem reponunt. Vis ejus septica est, efficacissimèque genas purgat.

X. Quin ipsæ sordes pecudum, sudorque feminum, & alarum, adhærentes lanis, (œsypum vocant) innumeros propè usus habent. In Atticis ovibus genito pal-

ma. Fit pluribus modis : sed probatissimum, lanâ ab his partibus recenti conceptâ, aut quibuscumque sordibus succidis primùm collectis, ac lento igni in æneo subfervefactis, & refrigeratis, pinguique quod supernatet, collecto in fictili vase, iterumque decoctâ priori materiâ : quæ pinguitudo utraque frigidâ aquâ lavatur, & in linteo faccatur, ac Sole torretur, donec candida fiat ac translucida. Tum in stanneâ pyxide conditur. Probatio autem, ut sordium virus oleat, & manu fricante ex aquâ non liquetur, sed albescat ut cerussa. Oculis utilissimum contra inflammationes, genarumque callum. Quidam in testâ torrent, donec pinguitudinem amittat, utilius tale existimantes erosio & duris genis, angulis scabiosis & lacrimantibus. Ulcera non oculorum modò sanat, sed oris etiam & genitalium, cum anserino adipe. Medetur & vulvæ inflammationibus, & sedis rhagadiis, & condylomatis cum meliloto ac butyro. Reliquos usus ejus suo loco digeremus. Sordes quoque caudarum concretæ in pilulas, ac siccatae per se tussæque in farinam & illitæ dentibus mirè profunt, etiam labantibus : gingivisque, si carcinoma serpat. Jam verò pura vellera, aut per se imposita cæcis doloribus, aut accepto sulphure : & cinis eorum, genitalium vitiiis. Tantùmque pollent, ut me-

dicamentis quoque superponantur. Medentur ante omnia & pecori ipsi, si fastidio non pascatur. Caudâ enim quàm arctissimè præligatâ, evulsâ inde lanâ statim vescuntur. Traduntque quod extra nodum sit e caudâ præmori.

XI. 3. Lanæ habent & cum ovis societatem simul fronti impositæ contra epiphoras. Non opus est eas in hoc usu radiculâ esse curatas, neque aliud, quàm candidum ex ovo infundi, ac pollinem thuris. Ova per se infuso candido oculis epiphoras cohibent, urentesque refrigerant. Quidam cum croco præferunt, & pro aquâ miscent collyriis. Infantibus verò contra lippitudines vix aliud remedium est, butyro admixto recenti. Eadem cum oleo trita ignes sacros leniunt, betæ foliis superilligatis. Candido ovorum in oculis & pili reclinantur Hammoniaco trito admixtoque. Et vari in facie cum pineis nucleis ac melle modico. Ipsa facies illita Sole non aduritur. Ambusta aquis si statim ovo occupentur, pusulas non sentiunt. Quidam admiscent farinam hordeaceam, & salis parum. Ulceribus verò ex ambusto, cum candido ovorum tostum hordeum, & suillo adipe, mirè prodest. Eadem curatione ad sedis vitia utuntur: infantibus quidem, etiam si quid ibi procidat. Ad pedum rimas ovorum candido decocto cum cerus-

fæ denariorum duûm pondere, pari spu-
 mæ argenti, myrrhæ exiguo, deinde vi-
 no. Ad ignem sacrum, candido ovorum
 trito cum amylo. Aiunt & vulnera can-
 dido glutinari, calculosque pelli. Lutea
 ovorum cocta ut indurescant, admixto cro-
 co modicè, item melle & lacte mulieris
 illita, dolores oculorum mitigant. Vel cum
 rosaceo & mulso lana oculis imposita, vel
 cum trito apii semine, ac polentâ in mul-
 so illita. Prodest & tussientibus per se lu-
 teum devoratum liquidum, ita ut denti-
 bus non attingatur: thoracis destillationi-
 bus, faucium scabritiæ. Privatim contra
 hæmorrhoidum morsum illinitur, sorbe-
 turque crudum. Prodest & renibus, ve-
 sicæ rosionibus exulcerationibusque, &
 cruenta exscreantibus. Quinque ovorum lu-
 tea in vini heminâ cruda sorbentur dy-
 sentericis, cum cinere putaminis sui, & pa-
 paveris succo ac vino. Dantur coeliacis
 cum uvæ passæ pinguis pari pondere, &
 malicorii, per triduum æquis portionibus.
 Et alio modo lutea ovorum trium, lardi
 veteris & mellis quadrantibus, vini vete-
 ris cyathis tribus, trita ad crassitudinem
 mellis, & cùm opus sit, avellanæ nucis
 magnitudine ex aquâ pota. Item ex oleo
 fricta terna, totis ovis pridie maceratis in
 aceto. Sic & lientericis. Sanguinem autem
 rejicientibus, cum tribus cyathis musci.

Utuntur iisdem ad liventia, si vetustiora sint, cum bulbis ac melle. Sistunt & menses mulierum cocta, & ex vino pota: & inflationes quoque vulvæ cruda cum oleo aut vino illita. Utilia sunt & cervicis doloribus cum anserino adipe & rosaceo. Sedis etiam vitiiis indurata igni, ut calore quoque prosint. Et condylomatis cum rosaceo. Item ambustis durata in aquâ, mox in prunâ putaminibus exustis: tum lutea ex rosaceo illinuntur. Fiunt & tota lutea, quæ vocant sitista, cum triduo incubita tolluntur. Stomachum dissolutum confirmant pulli ovorum cum gallæ dimidio, ita ne ante duas horas alius cibus sumatur. Dant & dysentericis pullos in ipso ovo decoctos, admixtâ vini austeri heminâ, & pari modo olei polentæque. Membrana putaminis detracta sive crudo, sive cocto, labiorum fissuris medetur. Putaminis cinis in vino potus, sanguinis eruptionibus. Comburi sine membranâ oportet: sic fit & dentifricium. Idem cinis & mulierum menses cum myrrhâ illitus sistit. Firmitas putaminum tanta est, ut recta, nec vi, nec pondere ullo frangantur, nec nisi paululum inflexâ rotunditate. Tota ova adjuvant partum cum rutâ, & anetho, & cumino pota e vino. Scabiem corporum ac pruritus oleo & cedriâ mixtis tollunt. Ulcera quoque humida in capite, cycla-

iora
 ven-
 : &
 leo
 do-
 Se-
 no-
 oia-
 nox
 tea
 ea,
 oia
 fir-
 o,
 a-
 so
 ni-
 re
 e-

mino admixta. Ad puris & sanguinis ex-
 fcreationes ovum crudum cum porri secti-
 vi succo, parique mensurâ mellis Græci
 calfactum hauritur. Dantur & tussienti-
 bus cocta, & trita cum melle, & cruda
 cum passo oleique pari modo. Infundun-
 tur & virilitatis vitiis singula, cum ternis
 passi cyathis, amylique semunciâ a bali-
 neis. Adversus ictus serpentium cocta tri-
 taque adjecto nasturtio illinuntur. Cibo
 quot modis juvent notum est, cum trans-
 meent faucium tumorem, calfactuque obi-
 ter foveant. Nullus est alius cibus, qui
 in ægritudine alat, neque oneret, simul-
 que vim potûs ac cibi habeat. Macerato-
 rum in aceto molliri diximus putamen.
 Talibus cum farinâ in panem subactis cœ-
 liaci recreantur. Quidam ita resoluta in pa-
 tinis torreri utiliùs putant. Quo genere
 non alvos tantum, sed & menses femi-
 narum sistunt: aut si major sit impetus,
 cruda cum farinâ ex aquâ hauriuntur. Et
 per se lutea ex iis decocta in aceto, do-
 nec indurescant: iterumque cum trito pi-
 pere torrentur ad cohibendas alvos. Fit &
 dysentericis remedium singulare, ovo ef-
 fuso in fictili novo, ejusdemque ovi men-
 surâ, ut paria sint omnia, melle, mox ace-
 to, item oleo, confusis crebróque permix-
 tis. Quò fuerint ea excellentiora, hoc præ-
 sentius remedium erit. Alii eâdem men-

furâ pro oleo & aceto resinam adjiciunt rubentem, vinumque: & alio modo temperant, olei tantum mensurâ pari, pineique corticis duabus sexagesimis denariorum, unâ ejus quod rhum diximus, mellis obolis quinque simul decoctis, ita ut cibus alius post quatuor horas sumatur. Torminibus quoque multi medentur, ova bina cum alli spicis quatuor unâ terendo, vini que heminâ calefaciendo, atque ita potui dando. Et ne quid desit ovorum gratiæ, candidum ex his admixtura calci vivæ glutinat vitri fragmenta. Vis verò tanta est, ut lignum perfusum ovo non ardeat, ac ne vestis quidem contacta aduratur. De gallinarum autem ovis tantum locuti sumus, cum & reliquarum alitum restent magnæ utilitates, sicut suis locis dicemus.

XII. Præterea est ovorum genus in magnâ Galliarum famâ, omissum Græcis. Angues innumeri æstate convoluti, salivis faucium corporumque spumis artificio complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ sibilis id dicunt in sublime jactari, fagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat. Profugere raptorem equo: serpentes enim insequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus esse, si contra aquas fluitet vel auro vinctum. Atque, ut est magorum solertia

Occultandis fraudibus sagax, certâ Lunâ capicndum censent, tamquam congruere operationem eam serpentium, humani sit arbitrii. Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, crustâ cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium ac regum aditus, mirè laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in sinu equitem Romanum e Vocontis, a divo Claudio principe interemptum non ob aliud sciam. Hic tamen complexus anguim & efferatorum concordia, causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdatâ effigie anguim fecerint. Neque enim cristatos esse in caduceo mos est.

XIII. De anserum ovis magnæ utilitatis, ipsoque anseri dicturi hoc in volumine, debemus honorem & Commagenorum clarissimæ rei. Fit ex adipe anserum: alioqui celeberrimi usûs est: ad hoc in Commagene Syriæ parte cum cinnamo, casiâ, pipere albo, herbâ quæ Commagene vocatur, obrutis nive vasis, odore jucundo, utilissimum ad perfrictiones, convulsiones, cæcos aut subitos dolores, omniaque quæ acopis curantur: unguentumque pariter, ac medicamentum est. Fit & in Syriâ alio modo, adipe avium curato, ut diximus, additis erysisceptro, xy-

lobalsamo, phœnice elate, item calamo, singulorum pondere, qui sit adipis, cum vino bis aut ter subfervefactum. Fit autem hieme, quoniam æstate non glaciatur nisi acceptâ cerâ. Multa præterea remedia sunt ex anserè, (quod miror,) æquè quàm in capris. Namque anser corvusque ab æstate in autumnum morbo conflictari dicuntur.

XIV. 4. De anserum honore, quem meruere Gallorum in Capitolium adscensu deprehenso, diximus. Eâdem de causâ supplicia annua canes pendunt inter ædem Juventatis & Summani, vivi in furcâ sambuceâ arbore fixi. Sed plura de hoc animali dici cogunt priscorum mores. Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur his. Genitæ Manæ catulo res divina fit, & in cenis deum etiamnum ponitur catulina. Aditialibus quidem epulis celebrem fuisse, Plauti fabulæ indicio sunt. Sanguine canino contra toxica nihil præstantius putant. Vomitiones quoque hoc animal monstrasse homini videtur. Et alios usus ex eo mirè laudatos referemus suis locis.

XV. Nunc ad statutum ordinem pergemus. Adversus serpentium ictus efficacia habentur, fimum pecudis recens in vino decoctum illitumque: mures dissecti & im-

positi, quorum natura non est spernenda, præcipuè in adscensu siderum, ut diximus: cum lumine Lunæ fibrarum numero crescente atque decrescente. Tradunt magi, jocinere muris dato porcis in fico, sequi dantem id animal. In homine quoque similiter valere, sed resolvi cyatho olei poto.

XVI. Mustelarum duo genera: alterum silvestre, distans magnitudine. Græci vocant ictidas. Harum fel contra aspides dicitur efficax, ceterò venenum. Hæc autem quæ in domibus nostris oberrat, & catulos suos (ut auctor est Cicero) quotidie transfert, mutatque sedem, serpentes persequitur. Ex eâ inveteratâ sale denarii pondus in cyathis tribus datur percussis: aut ventriculus coriandro fartus inveteratusque & in vino potus. Et catulus mustelæ etiam efficacius.

XVII. Quædam pudenda dictu tantâ auctororum adseveratione commendantur, ut præterire fas non sit. Siquidem illâ concordia rerum, aut repugnantia medicinæ gignuntur: veluti cimicum animalis foedissimi, & dictu quoque fastidiendi natura, contra serpentium morsus, & præcipuè aspidum valere dicitur. Item contra venena omnia: argumento, quòd dicant gallinas, quo die id ederint, non interfici ab aspi-
de: carnesque earum percussis plurimum

prodesse. Ex his quæ tradunt, humanissimum est, illinire morsibus cum sanguine testudinis: item suffitu eorum abigere sanguifugas adhærentes, haustasque ab animalibus restinguere in potu datos. Quamquam & oculos quidam iis inungunt tritis cum sale & lacte mulierum: auresque, cum melle & rosaceo admixtis. Eos qui agrestes sint, & in malvâ nascantur, crematos, cinere permixto rosaceo infundunt auribus. Cetera quæ de his tradunt, vomicæ, & quartanarum remedia, aliorumque morborum, quamquam ovo, aut cerâ, aut fabâ inclusos censeant devorandos, falsa, nec referenda arbitror. Lethargi tamen medicinæ cum argumento adhibent, quoniam vincatur aspidum somnifica vis, septenos in cyatho aquæ dantes, puerilibus annis quaternos. Et in stranguriâ fistulæ imposuere. Adeò nihil parens illa rerum omnium sine ingentibus causis genuit. Quin & ad alligatos lævo brachio binos lanâ subreptâ pastoribus, resistere nocturnis febribus prodiderunt, diurnis in roseo panno. Rursum iis adversatur scolopendra, suffituque enecat.

XVIII. Aspides percussos torpore & somno necant, omnium serpentium minimè sanabiles. Sed & venenum earum si sanguinem attingit, aut recens vulnus, statim in-

terimit : inveteratum ulcus , tardiùs. De cetero potum quantalibet copiâ , non nocet. Non est enim tabifica vis : itaque occisa morfu earum animalia , cibis innoxia sunt. Cunctarer in proferendo ex his remedio , nisi M. Varronem scirem LXXXIII. vitæ anno prodidisse , aspidum ictus efficacissimè sanari , haustâ a percussis ipsorum urinâ.

XIX. Basilisci , quem etiam serpentes ipsæ fugiunt , aliàs olfactu necantem , qui hominem vel si aspiciat tantùm , dicitur interimere , sanguinem magi miris laudibus celebrant , coeuntem picis modo & colore , dilutum cinnabari clariorem fieri. Tribuunt ei & successus petitionum a potestatibus , & a diis etiam precum , morborumque remedia , veneficiorum amuleta. Quidam id Saturni sanguinem appellant.

XX. Draco non habet venena. Caput ejus limini januarum subditum , propitiatis adoratione diis , fortunatam domum facere promittitur. Oculis ejus inveteratis , & cum melle tritis , inunctos non pavescere ad nocturnas imagines , etiam pavidos. Cordis pingue in pelle dorcadum nervis cervinis adalligatum in lacerto , conferre judiciorum victoriæ. Primum spondylum aditus potestatum mulcere. Dentibus ejus illigatos pellibus caprearum cervinis nervis , mites præstare dominos , po-

testatesque exorabiles. Sed super omnia est compositio, quâ invictos faciunt magorum mendacia: caudâ draconis & capite, pilis leonis e fronte, & medullâ ejusdem, equi victoris spumâ, canis unguibus adalligatis cervino corio, nervisque cervi alternatis & dorcadis: quæ coarguisse non minùs refert, quàm contraria serpentibus remedia demonstrasse, quoniam hæc morum veneficia sunt. Draconum adipem venenata fugiunt: item, si uratur, ichneumonum: fugiunt & urticis tritis in aceto perunctos.

XXI. Viperæ caput impositum, vel alterius quàm quæ percusserit, sine fine prodest. Item si quis eam ipsam in vapore baculo sustineat: aiunt enim præcanere: item si quis exustæ ejus cinerem illinat. Reverti autem ad percussum serpentes necessitate naturæ, Nigidius auctor est. Caput quidem dissecant Scythæ inter aures ad eximendum lapillum, quem aiunt ab eâ devorari territâ. Alii ipso toto capite utuntur. Fiunt ex viperâ pastilli, qui theriaci vocantur a Græcis, ternis digitis utrimque amputatis, exemptisque interaneis, & livore spinæ adhærente, reliquo corpore in patinâ ex aquâ & anetho discocto, spinisque exemptis, & additâ similagine, atque ita in umbrâ siccatis pastillis, quibus ad multa medicamenta utuntur. Signi-

ficandum videtur e viperâ tantùm hoc fieri. Quidam purgatæ, ut suprâ dictum est, adipem cum olei sextario decoquunt ad dimidias. Ex eo, cùm opus sit, ternis stillis additis in oleum perunguntur, ut omnes bestiaë fugiant eos.

XXII. Præterea constat, contra omnium serpentium ictus, quamvis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari: eosque qui aliquando viperæ jecur coctum hauserint, numquam postea feriri a serpente. Neque anguis venenatus est, nisi per mensem Lunâ instigatus. Sed prodest vivus comprehensus, & in aquâ contusus, si foveatur ita morsus. Quin & inesse ei remedia multa creduntur, ut digeremus, & ideo Æsculapio dicatur. Democritus quidem monstra quædam ex his conficit, ut possint avium sermones intelligi. Anguis Æsculapius Epidauro Romam advectus est: vulgòque pascitur & in domibus. Ac nisi incendiis femina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere.

In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est, quod & in aquâ vivit, hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno. Horum jecur servatum adversus percussos ab his auxilium est.

Scorpio tritus stellionum veneno adversatur. Fit enim & e stellionibus malum medicamentum. Nam cùm immortalis est vi-

no, faciem eorum qui biberint lentigine obducit. Ob hoc in unguento necant eum, insidiantes pellicum formæ. Remedium est ovi luteum, & mel ac nitrum. Fel stellionum tritum in aquâ mustelas congregare dicitur.

XXIII. Inter omnia venenata salamandra scelus maximum est. Cetera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt: ut omittam, quòd perire conscientia dicuntur homine percusso, neque amplius admitti ad terras: salamandra populos pariter necare improvidos potest. Nam si arbori irrepsit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint, necat frigidâ vi, nihil aconito distans. Quinimmo si contacto ab eâ ligno vel pede crusta panis incoquatur, idem veneficium est: vel si in puteum cadat. Quippe cum salivâ ejus quacumque parte corporis, vel in pede imo respersâ, omnis in toto corpore defluat pilus. Tamen talis, ac tanti veneni a quibusdam animalium, ut subus, manditur, dominante eâdem illâ rerum dissidentiâ. Venenum ejus restingui primum omnium ab his quæ vescantur illâ, ex his verisimile est, quæ produntur, cantharidum potu, aut lacertâ in cibo sumptâ: cetera adversantia diximus, dicemusque suis locis. Ex ipsâ quæ magi tradunt contra incendia, quoniam ignes sola animalium

malium extinguat, si forent vera, jam esset experta Roma. Sextius Venerem accendi cibo earum, si detractis interaneis, & pedibus, & capite in melle ferventur, tradit, negatque restingui ignem ab iis.

XXIV. E volucris in auxilium contra serpentes primi vultures. Adnotatum quoque minus virium esse nigris. Pennarum ex his nidore, si urantur, fugari eas dicunt. Item cor ejus alitis habentes, tutos esse ab impetu non solum serpentium, sed etiam ferarum, latronumque, & regum irâ.

XXV. Carnibus gallinaceorum, ita ut tepebunt avulsæ, adpositis, venena serpentium domantur: item cerebro in vino poto. Parthi gallinæ malunt cerebrum plagis imponere. Jus quoque ex his potum præclare medetur, & in multis aliis usibus mirabile. Pantheræ leonesque non attingunt perunctos eo, præcipue si & alium fuerit incoctum. Alvum solvit validius e veteri gallinaceo. Prodest & contra longinquas febres, & torpentibus membris, tremulisque, & articulariis morbis: in capitis doloribus: epiphoris, inflationibus, fastidiis, incipiente tenesmo, jocineri, renibus, vesicæ: contra cruditates, suspiria. Itaque etiam faciendi ejus exstant præcepta. Efficacius enim cocti cum olere marino, aut cybio, aut capparî, aut apio,

aut herbâ Mercuriali, aut polypodio, aut anetho: utilissimè autem in congiis tribus aquæ ad tres heminas cum supradictis herbis, & refrigeratum sub dio dari tempestivis antecedente vomitione. Non præteribo miraculum, quamquam ad medicinam non pertinens: si auro liquefcenti gallinarum membra misceantur, consumunt id in se. Ita hoc venenum auri est. At gallinaeis ipsis circulo e ramentis addito in cololum, non canunt.

XXVI. Auxiliatur contra serpentes & columbarum caro recens concerpta, & hirundinum: bubonis pedes usti cum plumagine herbâ. Nec omittam in hac quoque alite exemplum magicæ vanitatis. Quippe præter reliqua portentosa mendacia, cor ejus impositum mammæ mulieris dormientis sinistrae, tradunt efficere, ut omnia secreta pronuntiet. Præterea in pugnam ferentes idem, fortes fieri. Ejusdem ovo ad capillum remedia demonstrat. Quis autem, quæso, ovum bubonis unquam videre potuit, cum ipsam avem vidisse prodigium sit? quis utique experi, & præcipuè in capillo? Sanguine quidem pulli bubonis etiam crispari capillum promittunt.

Cujus generis propè videri possint, quæ tradunt & de vespertione: si ter circumlatus domui vivus, per fenestram inver-

fo capite infigatur, amuletum esse: privatimque ovilibus circumraptum toties, & pedibus suspensum in supero limine. Sanguinem quoque ejus cum carduo, contra serpentium ictus inter præcipua laudant.

XXVII. Phalangium est Italiae ignotum, & plurium generum: Unum simile formicæ, sed multò majus, rufo capite, reliquâ parte corporis nigrâ, albis intercurfantibus guttis. Acerbior hujus, quàm vespæ ictus. Vivit maximè circa furnos & molas. In remedio est, si quis ejusdem generis alterum percusso ostendat. Et ad hoc servantur mortui. Inveniuntur & cortices eorum, qui triti & poti medentur: & mustelæ catuli, ut diximus suprâ. Æquè phalangion Græci vocant inter genera araneorum, sed distinguunt lupi nomine. Tertium genus est eodem phalangii nomine araneus lanuginosus, grandissimo capite. Quo dissecto inveniri dicuntur intus vermiculi duo, adalligatique mulieribus cervinâ pelle ante Solis ortum, præstare ne concipiant, ut Cæcilius in commentariis reliquit. Vis ea annua est: quam solam ex omni atocio dixisse fas sit, quoniam aliquarum fecunditas plena liberis tali veniâ indiget. Vocatur & rhagion acino nigro similis, ore minimo sub alvo, pedibus brevissimis, tamquam imperfectis. Dolor a morfu ejus qualis a scorpione. Urina simi-

lis araneis textis. Idem erat asterion, nisi distingueretur virgulis albis. Hujus morfus genua labefactat. Pejor utroque est cæruleus, lanugine nigrâ, caliginem concitans, & vomitus araneosus. Etiamnum deterior, a crabrone pennâ tantum differens. Hic & ad maciem perducit. Myrmecion formicæ similis capite, alvo nigrâ, guttis albis distinguentibus, vesparum dolore torquet. Tetragnathii duo genera habent: pejor medium caput distinguente lineâ albâ, & transversâ alterâ. Hic oris tumorem facit. At cinereus posteriore parte candicans, lentior. Minimè autem noxius eodem colore, qui telas muscis in parietibus latissimè pandit. Contra omnium morfus remedio est gallinaceum cerebrum cum piperis exiguo potum in poscâ. Item formicæ quinque potæ: pecudum fimi cinis illitus ex aceto: & ipsi aranei, quicumque in oleo putrefacti.

Muris aranei morfus sanatur coagulo agnino in vino poto: unguæ arietinæ cinere cum melle, mustelæ catulo, ut in serpentibus dictum est. Si jumenta momorderit, mus recens cum sale imponitur, aut fel vespertilionis ex aceto. Et ipse mus araneus contra se remedium est, divulsus & impositus. Nam si prægnans momorderit, protinus dissilit. Optimum, si imponatur qui momorderit. Sed & alios ad hunc

usum fervant in oleo, aut luto circumlitos. Est contra morsum ejus remedio terra ex orbitâ. Ferunt enim non transiri ab eo orbitam, torpore quodam naturæ.

XXVIII. Scorpionibus contrarius maximè invicem stellio traditur, ut visu quoque pavorem iis adferat, & torporem frigidi sudoris. Itaque in oleo putrefaciunt eum, & ita ea vulnera perungunt. Quidam oleo illo spumam argenteam decoquunt ad emplastri genus, atque ita illinunt. Hunc Græci coloten vocant, & ascalaboten, & galeoten. In Italiâ non nascitur. Est enim hic plenus lentigine, stridoris acerbi, & vescitur; quæ omnia a nostris stellionibus aliena sunt.

XXIX. Prodest & gallinarum fimi cinis illitus, draconis jecur, lacerta divulsa, mus divulsus, scorpio ipse suæ plagæ impositus, aut assus in cibo sumptus, aut potus in meri cyathis duobus. Proprium est scorpionum, quòd manûs palmam non feriunt, nec nisi pilos attigere. Lapillus qualiscumque, ab eâ parte qua in terrâ erat, impositus plagæ, levat dolorem. Item testa terrâ operta ex aliquâ parte, sicut erat, imposita, liberare dicitur. Non debent respicere qui imponunt, & cavere ne Sol aspiciat.

Vermes terreni triti impositi profunt. Multa & alia ex his remedia sunt, propter quæ in melle fervantur. K iij

Noctua apibus contraria, & vespis, crabronibusque, & fanguisugis: pici quoque Martii rostrum secum habentes non feriuntur ab iis. Adversantur & locustarum minimæ sine pennis, quos attelebos vocant.

Est & formicarum genus venenatum: non fere in Italiâ. Solipugas Cicero appellat, salpugas Bætica. Iis cor vesperilionis contrarium, omnibusque formicis.

Salamandris cantharidas diximus resistere.

XXX. Sed in iis magna quæstio, quoniam ipsæ venena sunt potæ vesicæ cum cruciatu præcipuo. Cossinum equitem Romanum, amicitia Neronis principis notum, cum is lichene correptus esset, vocatus ex Ægypto medicus ob hanc valetudinem ejus a Cæsare, cum cantharidum potum præparare voluisset, interemit. Verum illitas prodesse non dubium est, cum succo taminia uvæ, & sevo ovis vel capræ. Ipsarum cantharidum venenum in quâ parte sit, non constat inter auctores. Alii in pedibus & capite existimant esse, alii negant. Convenit tantum pennas earum auxiliari, in quacumque parte sit venenum. Ipsæ nascuntur ex vermiculo, in spongiâ maximè cynorrhodi quæ fit in caule, sed fecundissimè in fraxino: ceteræ in albâ rosâ, minùs efficaces. Potentissimæ inter omnes variæ, luteis lineis, quas in pennis transversas habent, multum pingues:

inertiores minutæ, latæ, pilosæ: inutilissimæ verò, unius coloris macræque. Conduntur in calice fictili non picato, & linteo colligato, congestæ rosâ maturâ, & suspenduntur super acetum cum sale fervens, donec per linteolum vaporentur, postea reponuntur. Vis earum adurere corpus, crustas obducere. Eadem pityocampis, in piceâ nascentibus: eadem buprestis: similiterque præparantur. Efficacissimæ omnes ad lepras lichenasque: dicuntur & menses ciere & urinam. Ideo Hippocrates & hydropicis dabat. Cantharides objectæ sunt Catoni Uticensi, ceu venenum vendidisset in auctione regiâ, quoniam eas festertis LX. addixerat.

5. Et sebum autem struthiocamelinum tunc venisse festertis xxx. obiter dictum sit, efficacioris ad omnia usûs, quàm est adeps anserinus.

XXXI. Diximus & mellis venenati genera: contra quod utuntur melle, in quo apes sint mortuæ. Idem potum in vino, remedium est vitiorum, quæ e cibo piscium gignuntur.

XXXII. In canis rabiosi morfu tuetur a pavore aquæ; capitis canini cinis illitus vulneri. Oportet autem comburi omnia eodem modo, ut semel dicamus, in vase fictili novo, argillâ circumlito, atque ita in furnum indito. Idem & in potione pro-

ficit. Quidam ob id edendum dederunt. Aliqui & vermem e cadavere canino adalligavere: menstruave canis in panno subdidere calyci, aut intus ipsius caudæ pilos combustos insuere vulneri. Cor caninum habentem fugiunt canes. Non latrant verò, linguâ caninâ in calceamento subditâ pollici: aut caudam mustelæ, quæ abscisâ dimissa sit, habentes. Est limus salivæ sub linguâ rabiosi canis, qui datus in potu, fieri hydrophobos non patitur. Multò tamen utilissimè jecur ejus, qui in rabie momorderit, datur, si possit fieri, crudum mandendum: si minùs, quoquo modo coctum, aut jus coctis carnibus. Est vermiculus in linguâ canum, qui vocatur a Græcis lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Idem ter igni circumlatus, datur morsis a rabioso, ne rabidi fiant. Et cerebello gallinaceo occurritur. Sed id devoratum anno tantùm eo prodest. Aiunt & cristam galli contritam efficaciter imponi, & anseris adipem cum melle. Saliuntur & carnes eorum, qui rabidi fuerunt, ad eadem remedia in cibo dandæ. Quin & necantur catuli statim in aquâ, ad sexum ejus qui momorderit, ut jecur crudum devoretur ex iis. Prodest & fimum gallinaceum, dumtaxat rufum, ex aceto impositum: & muris aranei caudæ cinis, ita

ut ipse, cui abscisa sit, vivus dimittatur: glebula ex hirundinum nido illita ex aceto: vel pulli hirundinis combusti: membrana sive fenectus anguium, vernatione exutâ, cum cancro masculino ex vino trita. Nam etiam per se reposita in arcis armariisque, tineas necat. Tanta vis mali est, ut urina quoque calcata rabiosi canis noceat, maximè ulcus habentibus. Remedio est fimum caballinum adspersum aceto, & calfactum in fico impositum. Minus hoc miretur, qui cogitet, lapidem a cane morsum, usque in proverbium discordiæ venisse. Qui in urinam canis suam egresserit, torporem lumborum sentire dicunt. Lacerata, quam hi sepa, alii chalcidicen vocant, in vino pota morsus suos sanat.

XXXIII. Veneficiis ex mustelâ silvestri factis, contrarium est jus gallinacei veteris largè haustum: peculiariter contra acnitum, addi parum salis oportet. Gallinarum fimum dumtaxat candidum, in hyssopo decoctum, ut mulso, contra venena fungorum boletorumque: item inflationes, ac strangulationes: quod miremur, cum, si aliud animal gustaverit id fimum, torminibus & inflationibus adficiatur. Sanguis anserinus contra lepores marinos valet, cum olei æquâ portione. Item contra mala medicamenta omnia adservatur cum Lemniâ rubricâ & spinæ albæ succo, pa-

stillorum drachmis quinque, qui in cyathis ternis aquæ bibantur: item mustelæ catulus, ut suprâ diximus, præparatus. Coagulûm quoque agninum adversûs omnia mala medicamenta pollet: item sanguis anatum Ponticarum. Itaque & spissatus servatur, vinoque diluitur. Quidam feminae anatis efficaciorẽ putant. Simili modo contra venena omnia, ciconiarum ventriculus valet, coagulûm pecoris. Jus ex carne arietum privatim adversûs cantharidas: item lac ovium calidum, præterque iis qui buprestin aut aconitum biberint. Columbarum silvestrium fimum privatim contra argenti vivi potum. Contra toxica, mustela vulgaris inveterata, binis drachmis pota.

XXXIV. 6. Alopecias replet fimi pecudum cinis cum oleo cyprino & melle: item unguularum muli vel mulæ ex oleo myrteo. Præterea (ut Varro noster tradit) murinum fimum, quod item muscerdas appellat. Et muscarum capita recentia, priûs folio ficulneo asperatas. Alii sanguine muscarum utuntur. Alii decem diebus cinerem earum illinunt cum cinere chartæ, vel nucum, ita ut sit tertia pars e muscis. Alii lacte mulierum cum brassicâ cinerem muscarum subigant. Quidam melle tantûm. Nullum animal minûs docile existimatur, minorisve intellectûs:

eò mirabilius est, Olympiæ sacro certamine, nubes earum immolato tauro, deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abire. Alopecias cinis e murium capitibus, caudisque, & totius muris, emendat: præcipuè si veneficio acciderit hæc injuria. Item herinacei cinis cum melle, aut corium combustum cum pice liquidâ. Caput quidem ejus ustum per se, etiam cicatricibus pilos reddit. Alopecias autem in eâ curatione præparari oportet novaculâ, & sinapi. Quidam ex aceto uti maluerunt. Quæ de herinaceo dicuntur, omnia tantò magis valebunt in hystrice. Lacer-tæ quoque, ut docuimus, combustæ cum radice recentis arundinis, quæ ut unâ cremari possit, minutim findenda est: ita myrteo oleo permixto cineres capillorum defluvia continent. Efficaciùs virides lacer-tæ omnia eadem præstant. Etiamnum utiliùs admixto sale, & adipe ursino, & cepâ tusâ. Quidam denas virides in decem sextariis olei veteris discoquunt, contenti semel in mense ungere. Pellium viperinarum cinis, alopecias celerrimè explet: item gallinarum fimum recens illitum. Corvi ovum in æreo vase permixtum illitumque derafo capite nigritiam capilli adfert: sed donec inarescat, oleum in ore habendum est, ne & dentes simul nigrescant. Idque in umbrâ faciendum, neque ante

quatrimum abluendum. Alii sanguine & cerebro ejus utuntur cum vino nigro. Alii excoquunt ipsum, & nocte in concubiâ in plumbeum vas condunt. Aliqui alopecias cantharide tritâ illinunt cum pice liquidâ, nitro præparatâ cute. Caustica vis earum, cavendumque ne exulcerent altè. Postea ad ulcera ita facta, capita murium, & fel murium, & fimum cum elleboro & pipere illini jubent.

XXXV. Lendes tolluntur adipe canino, vel anguibus in cibo sumptis anguillarum modo: aut vernatione eorum, quam exuunt, potâ. Porrigines felle ovillo cum cretâ Cimoliâ, linito capite, donec inarescat.

XXXVI. Capitis doloribus remedio sunt cochlearum, quæ nudæ inveniuntur nondum peractæ, ablata capita, ex his lapideâ duritiâ exemptâ: est autem calculi latitudine: quæ adalligantur, & minutæ fronti illinuntur tritæ. Item œsypum: ossa e capite vulturis adalligata, aut cerebrum cum oleo & cedriâ peruncto capite, & intus naribus illitis. Cornicis cerebrum coctum, in cibo sumptum, vel noctuæ, idem præstat: gallinaceusque si inclusus abstinetur die ac nocte, pari inediâ ejus qui doleat evulsis collo plumis circumligatisque, vel cristis: mustelæ cinis illitus: surculus ex nido milvi pulvino subjectus: murina pellis cremata ex aceto illito ci-

nere. Limacis inter duas orbitas inventæ
 ossiculum per aurem cum ebore trajectum,
 vel in pelliculâ caninâ adalligatum: quod
 remedium pluribus semperque prodest.
 Fracto capiti aranei tela ex oleo & ace-
 to imposita, non nisi vulnere sanato, ab-
 cedit. Hæc & vulneribus tonstrinarum san-
 guinem sistit. A cerebro verò profluen-
 tem, anseris sanguis aut anatis infusus:
 adepsque earumdem alitum cum rosaceo.
 Cochleæ matutinò pascentis arundine ca-
 put præcisum, maximè Lunâ plenâ, lineo
 panno adalligant capitis doloribus licio:
 aut cerâ albâ fronti illinunt, & pilos ca-
 ninos panno adalligant.

XXXVII. Cerebrum cornicis in cibo
 sumptum, palpebras gignere dicitur: œsyo-
 pum cum myrrhâ calidum specillo illitum.
 Idem præstare muscarum, fimique murini
 cinerem æquis portionibus, ut efficiatur
 dimidium pondus denarii, promittitur, ad-
 ditis duabus sextis denarii e stibi, ut om-
 nia œsypo illinantur: item murini catuli
 triti in vino vetere ad crassitudinem aco-
 pi. Pilos in his incommodos, evulsos re-
 nasci non patitur fel herinacei: ovorum
 stellionis liquor: salamandræ cinis: lacer-
 tæ viridis fel in vino albo, Sole coactum
 ad crassitudinem mellis in æreo vase: hi-
 rundinis pullorum cinis cum lacte tithy-
 mali, spumâque cochlearum.

XXXVIII. Glaucomata dicunt magi cerebro catuli septem dierum emendari, specillo demisso in dextram partem, si dexter oculus curetur: in sinistram, si sinister: aut felle recenti asionis. Noctuarum est id genus, quibus pluma aurium modo micat. Suffusionem oculorum canino felle malebat, quàm hyænæ curare Apollonius Pitanaeus cum melle: item albugines. Murium capitum caudarumque cinere ex melle inunctis, claritatem visûs restitui dicunt, multoque magis gliris aut muris silvestris cinere, aut aquilæ cerebro vel felle. Cum Attico melle cinis & adeps foricis combusti tritus, lacrimosis oculis plurimum confert: stibis quid est, dicemus in metallis. Mustelæ cinis suffusionibus: item lacertæ hirundinisve cerebrum: quæ etiam tritæ coctæve fronti illitæ, epiphoras sedant, sive per se, sive cum polline, sive cum thure. Sic & solatis, id est, Sole correptis profunt. Vivas quoque cremare, & cinere earum cum melle Cretico inungi caligines, utilissimum est. Jumentorum oculis membrana aspidis, quam exuerit, cum adipe ejusdem, claritatem inunctis facit. Viperam vivam in fictili novo comburere, addito feniculi succo ad cyathum unum, & thuris mannâ unâ, atque ita suffusiones oculorum & caligines inungere, utilissimum est. Medicamentum id echion

vocatur. Fit & collyrium e viperâ, in ollâ putrefactâ, vermiculisque enatis cum croco tritis. Exuritur in ollâ cum sale: quem lingendo claritatem oculorum consequuntur, & stomachi totiusque corporis tempestivitates. Hic sal & pecori datur salubritatis causâ, & in antidotum contra serpentes additur. Quidam & viperis utuntur in cibis. Primum omnium occisæ statim sale in os addi jubent, donec liquecat: mox quatuor digitorum mensurâ utriusque præcisâ, exemptisque interaneis discoquant in aquâ, aut oleo, sale, anetho, & omnibus aut statim vescuntur, aut pane colligunt, ut sæpius utantur. Jus præter supra dicta pediculos e toto corpore expellit, pruritusque etiam summæ cutis. Effectum ostendit & per se capitis viperini cinis. Utilissimè oculos inungit. Itemque adeps viperinus. De felle non audacter suaferim quæ præcipiunt, quoniam, (ut suo loco docuimus) non aliud est serpentium venenum. Anguium adeps ærugini mixtus, ruptas oculorum partes sanat: & membrana sive senectus vernatione eorum exutâ si adfricetur, claritatem facit. Boæ quoque fel prædicatur ad albugines, suffusiones, caligines: adeps similiter ad claritatem.

Aquilæ, quam diximus pullos ad contuendum Solem experiri, mixto felle cum melle Attico inunguntur nubeculæ, & ca-

ligationes, suffusionesque oculorum. Eadem vis & in vulturino felle est cum porri succo, & melle exiguo. Item in gallinacei felle ad argema, & ad albugines ex aquâ diluto: item ad suffusiones oculorum, maximè candidi gallinacei. Fimum quoque gallinaceorum, dumtaxat rubrum, lusciosis illini monstrant. Laudant & gallinæ fel, sed præcipuè adipem, contra pufulas in pupillis. Has scilicet ejus rei gratiâ saginant. Adjuvat mirificè & ruptas oculorum tuniculas, admixtis schisto & hæmatite lapidibus. Fimum quoque earum dumtaxat candidum, in oleo vetere corneisque pyxidibus adservant, ad pupillarum albugines. Quâ in mentione significandum est, pavones fimum suum resorbere tradi, invidentes hominum utilitatibus. Accipiter decoctus in rosaceo efficacissimus ad inunctiones omnium vitiorum putatur: item fimi ejus cinis cum Attico melle. Laudatur & milvi jecur. Fimum quoque columbarum ex aceto ad ægilopas. Similiter ad albugines & cicatrices. Fel anserinum, sanguis anatum contusis oculis, ita ut postea œsypo & melle inungantur. Fel perdicum cum mellis æquo pondere: per se verò, ad claritatem. Hippocratis putant auctoritate adjici, quòd in argenteâ pyxide id servari jubent. Ova perdicum in vase æreo decocta cum melle, ulceribus oculorum

& glaucomatis medentur. Columbarum, turturum, palumbium, perdicum sanguis, oculis cruore suffusis eximiè prodest. In columbis masculæ efficaciorē putant. Vena autem sub alâ ad hunc usum inciditur, quoniam suo calore utilior est. Superponi oportet splenium e melle decoctum lanamque succidam ex oleo ac vino. Earumdem avium sanguis nyctalopas sanat: & jecur ovium: atque (ut in capris diximus) efficacius fulvæ. Decocto quoque ejus oculos abluere suadent: & medullâ dolores tumoresque illinere. Bubonis oculorum cinis collyrio mixtus claritatem oculis facere promittitur. Turturis fimum albugines extenuat: item cochlearum cinis: fimum cenchridis: accipitrum generis hanc Græci faciunt. Argema ex melle omnibus, quæ suprâ scripta sunt, sanatur. Mel utilissimum oculis, in quo sunt apes immortalæ. Ciconiæ pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus: item qui draconis caput habeat. Hujus adipe & melle cum oleo vetere, incipientes caligines discuti tradunt. Hirundinum pullos plenâ Lunâ excæcant, restitutâque eorum acie capita comburuntur: hoc cinere cum melle utuntur ad claritatem, & dolores, ac lippitudines, & ictus.

Lacertas quoque pluribus modis ad oculorum remedia adsumunt. Alii viridem in-

cludunt novo fictili : ac lapillos qui vocantur cinædia, quæ & inguinum tumoribus adligari solent, novem signis signantes, & singulos detrahunt per dies. Nono emittunt lacertam : lapillos fervant ad oculorum dolores. Alii terram substernunt lacertæ viridi excæcatae, & unâ in vitreo vase anulos includunt e ferro solido vel auro : cùm recepisse visum lacertam apparuit per vitrum, emissâ eâ, anulis contra lippitudinem utuntur. Alii capitis cinere pro stibi ad scabritias. Quidam viridem longo collo in sabulosis nascentem comburunt, & incipientem epiphoram inungunt : item glaucomata. Mustellæ etiam oculis punctu erutis, aiunt visum reverti, eademque quæ in lacertis & anulis faciunt. Serpentis oculum dextrum adalligatum contra epiphoras prodesse, si serpens viva dimittatur. Lacrimantibus sine fine oculis, cinis stellionis capitis cum stibi eximiè medetur. Aranei muscarii tela, & præcipuè spelunca ipsa imposita per frontem ad duo tempora, in splenio aliquo, ita ut a puero impube & capiatur & imponatur, nec is triduo se ostendat ei cui medeatur, neve alteruter nudis pedibus terram attingat his diebus, mirabiliter epiphoris mederi dicuntur. Albugines quoque dicitur tollere inunctione araneus candidus, longissimis ac tenuissimis pedibus, contritus in oleo vetere. Sed is

etiam, cujus crassissimum textum est, in contignationibus fere, adalligatus panno, epiphoras sanare traditur. Scarabæi viridis natura contuentium visum exacuit. Itaque gemmarum sculptores contuitu eorum adquiescunt.

XXXIX. Aures purgat fel pecudis cum melle: canini lactis instillatio sedat dolorem. Gravitationem adeps cum absinthio & oleo vetere: item adeps anserinus. Quidam adjiciunt succum cepæ & allii, pari modo. Utuntur & per se ovis formicarum. Namque & huic animali est medicina: constatque urfos ægros hoc cibo fanari. Anserum, omniumque avium adeps præparatur, exemptisque venis omnibus patinâ novo fictili opertâ in Sole, subditâ aquâ ferventi liquatur: saccatusque lineis faccis, & in fictili novo repositus loco frigido: minùs putrescit addito melle. Murium cinis cum melle instillatus, aut cum rosaceo decoctus aurium dolores sedat. Si aliquod animal intraverit, præcipuum remedium est murium fel aceto dilutum. Si aqua intraverit, adeps anserinus cum cepæ succo. Gliris detractâ pelle, intestinisque exemptis, discoquitur melle in vase novo. Medici malunt e nardo decoqui usque ad tertias, atque ita adfervari: deinde cum opus sit, strigili tepefacta infundere. Constat deplorata aurium vitia


eo remedio sanari: aut si terreni vermes cum adipe anseris decocti infundantur. Item ex arboribus rubri oleo triti exulceratis, & ruptis auribus præclarè medentur. Lacerti inveterati in os pendentium addito sale, contusas, & ab ictu læsas aures sanant: efficacissimè autem ferrugineas maculas habentes, lineis etiam per caudam distincti. Millepeda, ab aliis centipeda, aut multipeda dicta, animal est e vermibus terræ, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se: oniscon Græci vocant, alii tylon: efficacem narrant ad aurium dolores, in cortice Punici mali decoctum, & porri succo. Addunt & rosaceum, & in alteram aurem infundunt. Illam autem quæ non arcuatur, sepa Græci vocant, alii scolopendram, minorem, perniciosamque. Cochleæ, quæ sunt in usu cibi, cum myrrhâ, aut thuris polline adpositæ: item minutæ, & latæ, fracturis aurium illinuntur cum melle. Senectus serpentium fervente testâ usta, instillatur rosaceo admixto, contra omnia quidem vitia efficax, sed contra graveolentiam præcipuè: aut si purulentæ sunt, ex aceto: meliùs cum felle caprino vel bubulo, aut testudinis marinæ. Vetustior anno eadem membrana non prodest, nec imbre perfusa, ut aliqui putant. Item aranei sanies cum rosaceo, aut per se in lanâ, vel cum

croco, auribus prodest: gryllus cum suâ terrâ effossus & illitus. Magnam auctoritatem huic animali perhibet Nigidius, majorem magi, quoniam retro ambulet, terramque terebret, stridat noctibus. Venantur eum formicâ circumligatâ capillo, in cavernam ejus conjectâ, efflato prius pulvere ne sese condat: ita formicæ complexu extrahitur. Ventris gallinaceorum membrana quæ abjici solet, inveterata & in vino trita, auribus purulentis calida infunditur, gallinarum quoque adeps. Est & quædam pinguitudo blattæ, si caput avellatur: hanc tritam unâ cum rosaceo auribus mirè prodesse dicunt, sed lanam, quâ incluserint, post paulum extrahendam. Celerimè enim id pingue transire in animal, fierique vermiculum. Alii binas ternasve in oleo decoctas efficacissimè auribus mederi scribunt, & tritas in linteolo imponi contusis. Hoc quoque animal inter pudenda est: sed propter admirationem naturæ, priscorumque curæ, totum in hoc loco explicandum. Plura earum genera fecerunt. Molles, quas in oleo decoctas, verrucis efficaciter illini experti sunt. Alterum genus mylœcon appellavere, circa molas fere nascens. Has capite detractis adtritas, lepras sanasse, Musa & Picton in exemplis reliquerunt. Tertium genus & odoris tædio invisum, exacutâ clune, cum

pisselæo sanare ulcera aliàs insanabilia strumas, panos, diebus viginti uno impositas, percussa, contusa, cacoethe, scabiem, furunculofque, detractis pedibus & pennis. Nos hæc etiam audita fastidimus. At hercule Diodorus & in morbo regio, & orthopnoicis se id dedisse tradit cum resinâ & melle. Tantùm potestatis habet ea ars pro medicamento dandi quidquid velit. Humanissimi eorum cinerem crematarum servandum ad hos usus in corneâ pyxide censuere, aut tritas clysteribus infundendas orthopnoicis, aut rheumaticis. Infixa utique corpori illitas extrahere constat. Mel utilissimum auribus quoque est, in quo apes emortuæ sunt.

XL. Parotidas comprimit columbinum sterminus vel per se, vel cum farinâ hordeaceâ aut avenaceâ. Noctuæque cerebrum vel jecur cum oleo infusum auriculæ, aut parotidi: multipeda cum resinæ tertiâ parte illita: grylli sive illiti, sive adalligati. At reliqua morborum genera medicinasque ex iisdem animalibus, aut ejusdem generis, sequenti dicemus volumine.





LIBER XXX.

*Medicinæ ex animalibus per morbos
digestæ.*

I. I. **M**AGICAS vanitates sæpius quidem antecedente operis parte, ubicumque causæ locusque poscebant, coarguimus, detegemusque etiamnum: in paucis tamen digna res est, de quâ plura dicantur, vel eo ipso quòd fraudulentissima artium plurimùm in toto terrarum orbe, plurimisque sæculis valuit. Auctoritatem ei maximam fuisse nemo miretur, quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in unam se redegit. Natam primùm e medicinâ nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem sanctioremque medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggererit, miscuisse artes mathematicas, nullo non avido futura de sese sciendi, atque ea e cælo verissimè peti credente. Ita posses-

sis hominum sensibus triplici vinculo, in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magnâ parte gentium prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet.

II. Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, ut inter auctores convenit. Sed unus hic fuerit, an postea & alius, non satis constat. Eudoxus, qui inter sapientiæ sectas clarissimam, utilissimamque eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles. Hermippus qui de totâ eâ arte diligentissimè scripsit, & vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum ejus positis explanavit, præceptorem, a quo institutum diceret, tradidit Azonacem; ipsum verò quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuisse. Mirum hoc in primis, durasse memoriam artemque tam longo ævo, commentariis non intercidentibus, præterea nec claris nec continuis successionibus custoditam. Quotus enim quisque auditu saltem cognitos habet, qui soli cognominantur, Apusorum, & Zaratum Medos, Babyloniosque Marmarum, & Arabantiphocum, aut Assyrium Tarmoendam, quorum nulla existant monumenta? Maximè tamen mirum est, in bello Trojano tantum de arte eâ silentium fuisse Homero, tantumque operis

ris ex eâdem in Ulyssis erroribus, adeo ut totum opus non aliunde constet. Siquidem Protea & Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt: Circe utique & inferum evocatione hoc solum agi. Nec postea quisquam dixit, quonam modo venisset Telmessum religiosissimam urbem, quando transisset ad Thessalas matres, quarum cognomen diu obtinuit in nostro orbe alienæ gentis. Trojanis itaque temporibus Chironis medicinis contenta, & solo Marte fulminante, miror equidem Achillis populis famam ejus in tantum adhæsisse, ut Menander quoque literarum subtilitati sine æmulo genitus, Thessalam cognominaret fabulam, complexam ambages feminarum detrahentium Lunam. Orphea putarem e propinquo primum intulisse, ad vicina usque, superstitionem ac medicinæ profectum, si non expers sedes ejus tota Thrace magices fuisset.

Primus, quod exstet, ut equidem invenio, commentatus de eâ Osthanes, Xerxem regem Persarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus: ac velut femina artis portentosæ sparsisse, obiter infecto, quacumque commeaverat, mundo. Diligentiores paulo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium. Quod certum est, hic maximè Osthanes ad rabiem, non aviditatem modò scientiæ ejus, Græco-

rum populos egit. Quamquam animadvertat summam literarum claritatem gloriamque ex eâ scientiâ antiquitus & pæne semper petitam. Certè Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc discendam navigavere, exsiliis veriùs, quàm peregrinationibus, susceptis. Hanc reversi prædicavere: hanc in arcanis habuere. Democritus Apollobechen Coptiten, & Dardanum e Phœnice illustravit: voluminibus Dardani in sepulcrum ejus petitis: suis verò ex disciplinâ eorum editis: quæ recepta ab aliis hominum, atque transisse per memoriam, æquè ac nihil in vitâ, mirandum est. In tantum fides istis fasque omne deest, adeò ut ii qui cetera in viro illo probant, hæc ejus esse opera inficiuntur. Sed frustra. Hunc enim maximè adfixisse animis eam dulcedinem constat. Plenumque miraculi & hoc, pariter utraque artes effloruisse: medicinam dico, magicenque, eâdem ætate illam Hippocrate, hanc Democrito illustrantibus, circa Peloponnesiacum Græciæ bellum, quod gestum est a CCC. Urbis nostræ anno. Est & alia magices factio, a Mose & Janne & Lotape ac Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem. Tantò recentior est Cypria. Non levem & Alexandri magni temporibus auctoritatem addidit professioni secundus Osthanes, co-

mitatu ejus exornatus, planéque, quod nemo dubitet, orbem terrarum peragravit.

III. Exstant certè & apud Italas gentes vestigia ejus in duodecim tabulis nostris, aliisque argumentis, quæ priore volumine exposui. DCLVII. demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso coss. senatusconsultum factum est, « ne homo » immolaretur »: palamque fuit in tempus illud sacri prodigiosi celebratio.

IV. Gallias utique possedit, & quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatam medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressâ, & ad naturæ inane pervectâ? Britannia hodieque eam adtonitè celebrat tantis cærimoniis, ut dedisse Persis videri possit. Adeò ista toto mundo consensere, quamquam discordi & sibi ignoto. Nec satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandî verò etiam saluberrimum.

V. 2. Ut narravit Osthanes, species ejus plures sunt. Namque & aquâ, & sphaeris, & aere, & stellis, & lucernis, ac pelvibus, securibusque, & multis aliis modis divina promittit: præterea umbrarum, inferorumque colloquia: quæ omnia æta-

te nostrâ princeps Nero vana falsaque comperit : quippe non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit, fortunâ rerum humanarum summâ gestiente in profundis animi vitiis. Primûmque imperare diis concupivit, nec quidquam generosiùs valuit. Nemo umquam ulli artium validiùs favit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero : utinamque inferos potiùs & quoscumque de suspicionibus suis deos consulisset, quàm lupanaribus atque prostitutis mandasset inquisitiones eas : nulla profectò sacra, barbari licet ferique ritûs, non mitiora, quàm cogitationes ejus, fuissent. Sæviùs sic nos replevit umbris.

VI. Sunt quædam magis perfugia, veluti lentiginem habentibus non obsequi numina, aut cerni. Obstet fortè hoc in illo ? Nihil membris defuit. Nam dies eligere certos liberum erat : pecudes verò, quibus non nisi ater colos esset, facile. Nam homines immolare etiam gratissimum. Magus ad eum Tiridates venerat, Armeniacum de se triumphum adferens, & ideo provinciis gravis. Navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortaliū necessitatibus violare naturam eam fas non putant. Magos secum adduxerat.

Magis etiam cenis eum initiaverat. Non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras: sed in his veneficas artes pollere, non magicas. Quærat aliquis, quæ sint mentiti veteres magi, cum adolescentibus nobis visus Apion grammaticæ artis, prodiderit cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur ofyrites, divinam, & contra omnia veneficia: sed si tota erueretur, statim eum qui eruisset, mori: seque evocasse umbras ad percunctandum Homerum, quam patriam, quibusque parentibus genitus esset, non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret.

VII. 3. Peculiare vanitatis sit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maximè mirantur, tot modis a rerum naturâ damnatas, cæcitate perpetuâ, tenebris etiamnum aliis defossas, sepultisque similes. Nullis æquè credunt extis, nullum religionis capacius judicant animal: ut si quis cor ejus recens palpitanisque devoret, divinationis & rerum efficiendarum eventus promittant. Dente talpæ vivæ exempto, fanari dentium dolores adalligato adfirmant. Cetera ex eo animali placita eorum, suis reddemus locis. Nec quidquam probabilius invenietur, quam

muris aranei morsibus adversari eas, quoniam & terra orbitis (ut diximus) depressa adversatur.

VIII. Ceterò dentium doloribus (ut iidem narrant) medetur canum qui rabie perierunt, capitum cinis crematorum sine carnibus, instillatus ex oleo cyprino per aurem, cujus e parte doleant. Caninus dens sinister maximus, circumscarificato eo qui doleat: aut draconis os e spinâ: item enhydridis. Est autem serpens masculus & albus. Hujus maximo dente circumscarificant. At in superiorum dolore duos superiores adalligant, e diverso inferiores. Hujus adipe perunguntur, qui crocodilum captant. Dentes scarificantur ossibus lacertæ e fronte Lunâ plenâ exemptis, ita ne terram attingant. Colluunt caninis dentibus decoctis in vino ad dimidias partes. Cinis eorum pueros tardè dentientes adjuvat cum melle. Fit eodem modo & dentifricium. Cavis dentibus cinis e murino fimo inditur, vel jecur lacertarum aridum. Anguinum cor si mordeatur, aut alligetur, efficax habetur. Sunt inter eos, qui murem bis in mense jubeant mandi, doloresque ita cavere. Vermes terreni decocti in oleo, infusique auriculæ, cujus a parte doleant, præstant levamentum. Eorundem cinis exesis dentibus conjectus, ex facili cadere eos cogit: integros do-

lentes illitus juvat. Comburi autem oportet in testâ. Profunt & cum mori radice in aceto scillite decocti, ita ut colluantur dentes. Is quoque vermiculus, qui in herbâ, Veneris labro appellatâ, invenitur, cavis dentium inditus mirè prodest. Nam erucæ brassicæ, ejus contactu cadunt. Et e malvâ cimices infunduntur auribus cum rosaceo. Arenulæ, quæ inveniuntur in cornibus cochlearum, cavis dentium inditæ, statim liberant dolore. Cochlearum inanum cinis cum myrrhâ gingivis prodest: serpentis cum sale in ollâ exustæ cinis cum rosaceo in contrariam aurem infusus. Anguinæ vernationis membrana cum oleo, tedæque resina calefacta, & auri alterutri infusa: adjiciunt aliqui thus & rosaceum: eadem cavis indita, ut sine molestiâ cadant, præstant. Vanum arbitror esse, circa Canis ortum angues candidos membranam eam exuere, quoniam nec in Italiâ visum est, multoque minùs credibile in tepidis regionibus tam serò exui. Hanc autem vel inveteratam cum cerâ celerimè dentes evellere tradunt. Et dens anguim adalligatus dolores mitigat. Sunt qui & araneum animal ipsum sinistrâ manu captum, tritumque in rosaceo, & in aurem infusum, cujus a parte doleat, prodesse arbitrentur. Ossiculis gallinarum in pariete servatis, fistulâ salvâ, adacto den-

te vel gingivâ scarificatâ, projectoque ossiculo, statim dolorem abire tradunt. Item fimo corvi lanâ adalligato, vel passerum cum oleo calefacto, & proximæ auriculæ infuso, pruritus quidem intolerabilem facit, & ideo tolerabilius est passeris pullo- rum farmentis crematorum cinerem ex aceto infricare.

IX. 4. Oris saporem commendari adfir- mant, murino cinere cum melle si fricen- tur dentes. Admiscent quidam marathi radices. Pennâ vulturis si scalpantur den- tes, acidum halitum faciunt. Hoc idem hystricis spinâ fecisse, ad firmitatem per- tinet. Linguae ulcera & labrorum, hiru- dines in mulso decoctæ sanant. Adeps an- seris aut gallinæ, rimas. Oesypum cum gallâ: araneorum telæ candidæ, & quæ in trabibus parvæ texuntur. Si ferventia os intus exufferint, lacte canino statim sa- nabitur.

X. Maculas in facie, oesypum cum mel- le Corsico, quod asperrimum habetur, ex- tenuat. Item scobem cutis in facie cum ro- faceo impositum vellere; quidam & bu- tyrum addunt. Si verò vitiligines sint, fel caninum prius acu compunctas. Liventia & fugillata pulmones arietum pecudumque, in tenues confecti membranas, calidi im- positi, vel columbinum fimum. Cutem in facie adeps anseris, vel gallinæ custodit.

Lichenas & murino fimo ex aceto illinunt, & cinere herinacei ex oleo. In hac curatione prius nitro ex aceto faciem foveri præcipiunt. Tollit ex facie vitia & cochlearum, quæ latæ & minutæ passim inveniuntur, cum melle cinis. Omnium quidem cochlearum cinis spissat, calfacit, smecticâ vi: & ideo causticis commiscetur, psorifque, & lentigini illinitur. Invenio & formicas Herculaneas appellari, quibus tritis adjecto fale exiguo, talia vitia sanentur. Buprestis animal est rarum in Italiâ, simillimum scarabæo longipedi. Fallit inter herbas bovem maximè, unde & nomen invenit, devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat. Hæc cum hircino sevo illita lichenas ex facie tollit septicâ vi, ut suprâ dictum est. Vulturinus sanguis cum chamæleonis albæ (quam herbam esse diximus) radice, & cedriâ tritus contectusque brassicâ, lepras sanat: item pedes locustarum cum sevo hircino triti. Varos adeps gallinacæus cum cepâ tritus & subactus. Utilissimum & in facie mel, in quo apes sint immortalæ. Præcipuè tamen faciem purgat atque erugat cygni adeps. Stigmata delentur columbino fimo ex aceto.

XI. Gravedinem invenio finiri, si quis nares mulinas osculetur. Uva & faucium dolor mitigatur fimo agnorum, priusquam

herbam gustaverint, in umbrâ arefacto. Uva succo cochleæ ac transfossæ illita, ut cochlea ipsa in fumo suspendatur. Hirundinum cinere cum melle: sic & tonsillis succurritur. Tonsillas & fauces lactis ovilli gargarizatio adjuvat. Multipeda trita, firmum columbinum cum passo gargarizatum, etiam cum fico aridâ ac nitro impositum extrâ, asperitatem faucium & destillationes leniunt. Cochleæ coqui debent illotæ: demptoque tantum terreno conteri, & in passo dari potui. Sunt qui Astypalæicas efficacissimas putent, & smegma earum. Lenit & gryllus infricatus: aut si quis manibus, quibus eum contriverit, tonsillas attingat.

XII. Anginis felle anserino cum elaterio & melle citissimè succurritur: cerebro noctuæ, cinere hirundinis, ex aquâ calidâ poto. Hujus medicinæ auctor est Ovidius poeta. Sed efficaciores ad omnia quæ ex hirundinibus monstrantur, pulli silvestrium. Figura nidorum eas deprehendit. Multò tamen efficacissimi ripariarum pulli. Ita vocant in riparum cavis nidificantes. Sunt qui ejuscumque hirundinis pullum edendum censent, ne toto anno metuatur id malum. Strangulatos cum sanguine comburunt in vase, & cinerem cum pane aut potu dant. Quidam & mustellæ cineris pari modo admiscunt. Sic & ad

strumæ remedia dant: & comitialibus quotidie potu. In sale quoque servatæ hiru-
dines ad anginam unâ drachmâ bibuntur:
cui malo & nidus earum mederi dicitur
potus. Millepedam illini anginis, efficacis-
simum putant. Alii XXI. tritas in aquæ
mulsæ heminâ dari per arundinem, quo-
niam dentibus tactis nihil prosint. Tradunt
& murem cum verbenacâ excoctum, si
bibatur is liquor, remedio esse. Et corri-
giam caninam ter collo circumdatam: fi-
mum columbinum vino & oleo permix-
tum. Cervicis nervis & opisthotono, ex
milvi nido furculus viticis adalligatus au-
xiliari dicitur.

5. Strumis exulceratis mustelæ sanguis:
ipsa decocta in vino: non tamen sectis ad-
movetur. Aiunt & cibo sumptam idem
efficere. Vel cineri ejus sarmentis com-
bustæ miscetur axungia. Lacertus viridis
adalligatur: post dies XXX. oportet alium
adalligari. Quidam cor ejus in argenteo
vasculo servant, ad feminarum strumas.
Veteres cochleæ cum testâ suâ tufæ illi-
nuntur, maximè quæ fructibus adhærent.
Item cinis aspidum cum sevo taurino im-
ponitur. Anguinus adeps mixtus oleo: item
anguium cinis ex oleo illitus, vel cum ce-
râ. Edisse quoque eos medios, abscisis
utrimque extremis artubus, adversus stru-
mas prodest: vel cinerem bibisse in no-

vo fictili ita crematorum : efficacius multo inter duas orbitas occiforum. Et gryllum illinire cum suâ terrâ effossum suadent : item fimum columbarum per se , vel cum farinâ hordeaceâ , aut avenaceâ ex aceto. Talpæ cinerem ex melle illinire. Alii jecur ejusdem contritum inter manus illinunt , & triduo non abluunt. Dextrum quoque pedem ejus remedio esse strumis adfirmant. Alii præcidunt caput , & cum terrâ a talpis excitatâ tusum digerunt in pastillos , pyxide stanneâ , & utuntur ad omnia quæ intumescunt , & quæ apostemata vocant , quæque in cervice sint : vesicique suillâ tunc vetant. Tauri vocantur scarabæi terrestres , ricino similes : nomen cornicula dedere. Alii pediculos terræ vocant. Ab his quoque terram egestam illinunt strumis , & similibus vitiis , & podagris. Triduo non abluunt : prodestque hæc medicina in annum. Omniaque his adscribunt , quæ nos in gryllis retulimus. Quidam & a formicis terrâ egestâ sic utuntur. Alii vermes terrenos totidem , quot sint strumæ , adalligant , pariterque cum his arescunt. Alii viperam circa Canis ortum circumcidunt , ut diximus , dein mediam comburunt. Cinerem eum dant bibendum ter septenis diebus , quantum prenditur ternis digitis : sic strumis medentur. Aliqui verò circumligant eas lino , quo

præligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur. Et millepedis utuntur, additâ resinæ terebinthinæ parte quartâ : quo medicamento omnia apostemata curari jubent.

XIII. Humeri doloribus mustelæ cinis cum cerâ medetur. Ne sint alæ hirsutæ formicarum ova pueris infricata præstant. Item mangonibus, ut lanugo tardior sit pubescentium, sanguis e testiculis agnorum, qui castrantur : qui evulsis pilis illitus & contra virus proficit.

XIV. Præcordia vocamus uno nomine exta in homine : quorum in dolore cuiuscumque partis, si catulus lactens admoveatur, adprimaturque his partibus, transire in eum morbus dicitur. Idque in exenterato, perfusoque vino deprehendi, vitiatò viscere illo quod doluerit hominis : & obrui tales religio est. Hi quoque, quos Melitæos vocamus, stomachi dolorem sedant adplicati sæpius. Transire morbos ægritudine eorum intelligitur, plerumque & morte.

6. Pulmonis quoque vitiis medentur & mures, maximè Africani, detractâ cute in oleo & sale decocti, atque in cibo sumpti. Eadem res & purulentis vel cruentis exscreationibus medetur.

XV. Præcipuè verò cochlearum cibus stomacho : in aquâ eas subfervescere inta-

Et corpore earum oportet, mox & in
 prunâ torreri, nihilo addito, atque ita e
 vino garoque sumi, præcipuè Africanas.
 Nuper hoc compertum plurimis prodesse.
 Id quoque observant, ut numero impari
 fumantur. Virus tamen earum gravitatem
 halitûs facit. Profunt & sanguinem ex-
 screantibus, demptâ testâ tritæ in aquæ
 potu. Laudatissimæ autem sunt Africanæ:
 ex his Solitanæ: Astypalæicæ, & Siculæ
 modicæ, quoniam magnitudo duras facit
 & sine fucco: Balearicæ, quas cavaticas
 vocant, quoniam in speluncis nascuntur.
 Laudatæ & ex insulis, Caprearum. Nul-
 læ autem cibus gratæ, neque veteres, ne-
 que recentes. Fluviatiles & albæ virus ha-
 bent: nec silvestres stomacho utiles, al-
 vum solvunt. Item omnes minutæ. Con-
 trà marinæ stomacho utiliores: efficacissi-
 mæ tamen in dolore stomachi. Laudatio-
 res traduntur quæcumque vivæ cum aceto
 devorata. Præterea sunt quæ acerata vo-
 cantur, lata, multifariam nascentes, de
 quarum usu suis dicemus locis. Gallina-
 ceorum ventris membrana inveterata &
 inspersa potioni destillationes pectoris &
 humidam tussim, vel recens tosta lenit.
 Cochleæ crudæ tritæ cum aquæ tepidæ
 cyathis tribus si sorbeantur, tussim sedant.
 Destillationes sedat & canina cutis cuili-
 bet digito circumdata. Jure perdicum sto-
 machus recreatur.

XVI. Joceris doloribus medetur mustela silvestris in cibo sumpta, vel jocinera ejus. Item viverra porcelli modo inasfata. Suspiriosis multipedæ, ita ut ter septenæ in Attico melle diluantur, & per arundinem bibantur. Omne enim vas earum nigrescit contactu. Quidam torrent ex his sextarium in patinâ, donec candidæ fiant: tunc melle miscent. Alii centripedam vocant, & ex aquâ dari jubent. Cochleæ in cibos his quos linoquit animus, aut quorum alienatur mens, aut quibus vertigines fiunt, ex passi cyathis tribus singulæ contritæ cum suâ testâ & calefactæ, in potu datæ diebus plurimum novem. Aliqui singulas primo die dedere, sequenti binas, tertio ternas, quarto duas, quinto unam. Sic & suspiria emendant & vomicas. Esse animal locustæ simile sine pennis, quod troxalis Græcè vocetur, Latinum nomen non habeat, aliqui arbitrantur: nec pauci auctores hoc esse quod gryllus vocetur. Ex his xx. torreri jubent, ac bibi e mulso contra orthopnœas, sanguinemque exspuentibus. Est qui cochleis illotis protropum infundat, vel marinam aquam, ita decoquat, & in cibo fumat: aut si tritæ cum testis suis fumantur cum protropo: sic & tussi medentur. Vomicas privatim sanat mel in quo apes sint demoruatæ. Sanguinem rejicientibus pulmo vul-

turinus vitigineis lignis combustus, adjecto flore mali Punici ex parte dimidiâ, item cotoneorum liliorumque iisdem portionibus potus mane atque vesperi in vino, si febres absint. Si minùs, ex aquâ in quâ cotonea decocta sint.

XVII. Pecudis lien recens magicis præceptis super dolentem lienem extenditur, dicente eo qui medeatur, « lieni se re-
» medium facere ». Post hoc jubent eum in pariete dormitorii ejus tectorio includi, & obsignari anulo, terque novies carmen dici. Caninus si viventi eximatur & in cibo fumatur, liberat eo vitio. Quidam recentem superilligant. Alii duùm dierum catuli ex aceto scillitico dant ignorantibus, vel herinacei lienem. Item cochlearum cinerem cum semine lini & urticæ addito melle, donec persanet. Eo liberat & lacerata viridis, viva in ollâ ante cubiculum dormitorium ejus cui medeatur, suspensa, ut egrediens revertensque attingat manu: cinis e capite bubonis cum unguento: mel in quo apes sint mortuæ: araneus, & maximè qui lycos vocatur.

XVIII. Upupæ cor in lateris doloribus laudatur, & cochlearum cinis in ptisanâ decoctarum, quæ & per se illinuntur. Canis rabiosi calvariæ cinis potioni inspergitur. Lumborum dolori stellio transmarius capite ablato & intestinis, decoctus in

vino cum papaveris nigri denarii pondere dimidio, eo succo bibitur. Lacertæ virides decisis pedibus & capite, in cibo sumuntur. Cochleæ tres contritæ cum testis suis, atque in vino decoctæ cum piperis granis xv. Aquilæ pedes evellunt in aversum a suffragine, ita ut dexter dexteræ partis doloribus adalligetur, sinister lævæ. Multipeda quoque, quam oniscon appellavimus, medetur denarii pondere ex vino cyathis duobus pota. Vermem terrenum catillo ligneo antè fisso & ferro vincto impositum, aquâ exceptâ perfundere, & defodere, unde effoderis, magi jubent, mox aquam bibere catillo, mirè id prodesse ischiadicis adfirmantes.

XIX. 7. Dysentericos recreant femina pecudum decocta cum lini semine aquâ pota. Caseus ovillus vetus, sebum ovium decoctum in vino austero. Hoc & ileo medetur, & tussi veteri. Dysentericis stellio transmarinus ablatis intestinis & capite, pedibusque ac cute, decoctus æquè & cibo sumptus. Cochleæ duæ cum ovo, utraque cum putamine contrita, atque in vase novo addito sale & passi cyathis duobus, aut palmarum succo & aquæ cyathis tribus subfervefactis & in potu datis. Profunt & combustæ, ut cinis earum bibatur in vino addito resinæ momento. Cochleæ nudæ, de quibus diximus, in Afri-

câ maximè inveniuntur, utilissimæ dysentericis, quinæ combustæ cum denarii pondere dimidii acaciæ: ex eo cinere dantur cochlearia bina in vino myrtite, aut quolibet austero cum pari modo caldæ. Quidam omnibus Africanis ita utuntur. Alii totidem Africanas, vel latas infundunt potius. Et si major fluxio sit, addunt acaciam fabæ magnitudine. Senectus anguium dysentericis, & tenesmis in stanneo vase decoquitur cum rosaceo. Vel si in alio, cum stanno illinitur. Jus e gallinaceo iisdem medetur: sed veteris gallinacei vehementius falsum jus alvum ciet. Membrana gallinarum tosta & data in oleo ac sale, cœliacorum dolores mulcet. Abstineri autem a frugibus antè & gallinam & hominem oportet. Fimum columbinum tostum potumque. Caro palumbis in aceto decocta dysentericis & cœliacis medetur. Turdus inassatus cum myrti baccis dysentericis: item merulæ. Mel, in quo apes sint immortuæ, decoctum.

XX. Gravissimum vitium ileos appellatur. Huic resisti aiunt discerpti vesperilionis sanguine: etiam illito ventre subveniri. Sistit alvum primùm cochlea, sicut diximus in suspiriosis, temperata. Item cinis earum quæ vivæ crematæ sint, potus ex vino austero. Gallinaceorum jecur asfum, aut ventriculi membrana, quæ ab-

jici solet, inveterata, admixto papaveris succo. Alii recentem torrent ex vino bibendam. Jus perdicum, & per se ventriculus contritus ex vino nigro. Item palumbus ferus, e poscâ decoctus. Lien pecudis tostus, & in vino tritus. Fimum columbinum cum melle illitum. Ossifragi venter arefactus & potus, iis qui cibos non conficiunt, utilissimus, vel si manu tantum teneant capientes cibum. Quidam adalligant ex hac causâ, sed continuare non debent: maciem enim facit. Sistit & anatum muscularum sanguis. Inflationem discutit cochlearum cibus. Tormina lien ovium tostus, atque e vino potus: palumbus ferus ex poscâ decoctus: apodes ex vino: cinis ibidis sine pennis crematæ potus. Quod præterea traditur in torminibus, mirum est: anate adpositâ ventri transire morbum, anatemque emori. Tormina & melle curantur, in quo sunt apes immortuæ, decocto. Coli vitium efficacissimè sanatur ave galeritâ asâ in cibo sumptâ. Quidam in vase novo cum plumis exuri jubent, conterique in cinerem, bibique ex aquâ cochlearibus ternis per quatri-duum: quidam cor ejus adalligari femini: aliî recens tepensque adhuc devorari. Consularis Asprenatum domus est, in quâ alter e fratribus colo liberatus est, ave hac in cibo sumptâ, & corde ejus armillâ au-

reâ incluso: alter sacrificio quodam, factô crudis laterculis ad formam camini, atque ut sacrum peractum erat, obstructo facello. Unum est ossifrago intestinum mirabili naturâ, omnia devorata conficienti. Hujus partem extremam adalligatam prodesse contra colum constat. Sunt occulti interaneorum morbi, de quibus mirum proditur. Si catuli, priusquam videant, adplicentur triduo stomacho maximè ac pectori, & ex ore ægri suctum lactis accipiant, transire vim morbi, postremò exanimari, dissectisque palam fieri ægri causas. Mori & humari debere eos obrutos terrâ. Magi quidem vespertilionis sanguine contacto ventre, in totum annum caveri dolorem tradunt: aut in dolore, si quis aquam per pedes fluentem haurire sustineat.

XXI. 8. Murino fimo contra calculos illinere ventrem prodest. Herinacei carnem jucundam esse aiunt, si capite percusso uno ictu interficiatur, prius quàm in se urinam reddat: eos qui carnem ederint, stranguriæ morbum contrahere minimè posse. Hæc caro ad hunc modum occisi, stillicidia in vesicâ emendat: item suffitus ex eodem. Quod si urinam in se reddiderit, eos qui carnem ederint, stranguriæ morbum contrahere traditur. Jubent & vermes terrenos bibi ex vino aut passo ad comminuendos calculos: vel cochleas

Decoctas, ut in suspiriosis. Easdem exemp-
 tas testis tritasque, tres in vini cyatho bi-
 bi, sequenti die duas, tertiâ die unam, ut
 stillicidium urinæ emendent. Testarum ve-
 rò inanium cinerem ad calculos pellendos.
 Idem hydri jecur bibi, vel cinerem scor-
 pionum in pane sumi, vel si quis cum
 locustâ edit. Lapillos qui in gallinaceorum
 vesicâ, aut in palumbium ventriculo in-
 veniantur, conteri & potioni inspergi. Item
 membranam e ventriculo gallinacei aridam:
 vel si recens sit, tostam. Fimum quoque
 palumbinum in fabâ sumi contra calculos
 & alias difficultates vesicæ. Similiter plu-
 marum cinerem palumbium ferorum ex
 aceto mulso. Et intestinorum ex his cinerem
 cochlearibus tribus. E nido hirundinum gle-
 bulam dilutam aquâ calidâ. Ossifragi ven-
 trem arefactum. Turturis fimum in mulso
 decoctum, vel ipsius discoctæ jus. Tur-
 dos quoque edisse cum baccis myrti pro-
 dest urinæ: cicadas tostas in patellis: mil-
 lepedam oniscon bibisse: & in vesicæ do-
 loribus decoctum agnorum pedum. Al-
 vum ciet gallinaceorum discoctorum jus,
 & acria mollit. Ciet & hirundinum fimum,
 adjecto melle subditum.

XXII. Sedis vitiis efficacissima sunt,
 œsypum: (quidam adjiciunt pompholy-
 gem & rosaceum:) canini capitis cinis:
 senecta serpentis ex aceto: si rhagades sint,

cinis fimi canini candidi cum rosaceo; aiuntque inventum Æsculapii esse; eodemque & verrucas efficacissimè tolli: murini fimi cinis, adeps cygni, sebum bovis. Pro-cidentia ibi succus cochlearum punctis evocatus illitu repellit. Adtritis medetur cinis muris silvatici cum melle: fel herina-cei, cum vespertilionis: & anserinus cum cerebro, & alumine, & œsypo. Fimum columbinum cum melle. Condylomatis pri-vatim araneus dempto capite pedibusque infricatus. Ne acria perurant, adeps an-serinus cum cerâ Punicâ, cerusâ, rosa-ceo: adeps cygni. Hæc & hæmorrhoidas sanare dicuntur. Ischiadicis cochleas cru-das tritas cum vino Amineo & pipere po-tu prodesse dicunt: lacertam viridem in cibo ablatis pedibus, interaneis, capite. Sic & stellionem, adjectis huic papaveris ni-gri obolis tribus. Ruptis convulsis fel ovium cum lacte mulierum. Verendorum fornicationibus verrucisque medetur arie-tini pulmonis inassati sanies. Ceteris vitiis, vellerum ejus vel sordidorum cinis ex aquâ: sebum ex omento pecudis, præcipuè a re-nibus, admixto cinere pumicis & sale: lana succida ex aquâ frigidâ: carnes pecu-dis combustæ ex aquâ: mulæ unguarum cinis: dentis caballini contusi farina in-sperfa. Testibus verò, farina ex ossibus ca-nini capitis sine carne tuis. Si decidat te

stium alter, spumam cochlearum illitam re-
 medio esse tradunt. Tetrus ibi ulceribus, &
 manantibus, auxiliantur canini capitis recen-
 tis cineres: cochleæ latae, parvæ, contritæ
 ex aceto: senectus anguium ex aceto, vel
 cinis ejus: mel, in quo apes sint immor-
 tuæ, cum resinâ: cochleæ nudæ, quas in
 Africâ gigni diximus, tritæ cum thuris pol-
 line & ovorum albo: tricesimo die re-
 solvunt. Aliqui pro thure bulbum admis-
 cent. Hydrocelicis stelliones mirè prodes-
 se tradunt, capite, pedibus, interaneis
 ademptis, reliquum corpus inassatum: in
 cibo id sæpius datur: sicut ad urinæ in-
 continentiam, caninum adipem cum alu-
 mine scisso, fabæ magnitudine: cochleas
 Africanas cum suâ carne & testâ crema-
 tas potio cinere. Anserum trium linguas
 inassatas in cibo: hujus rei auctor est Ana-
 xilaus. Panos aperit sebum pecudum cum
 sale tosto. Murinum fimum admixto thu-
 ris polline, & sandaracâ discutit. Lacer-
 tæ cinis, & ipsa divisa imposita: item mul-
 tipeda contrita, admixtâ resinâ terebinthi-
 nâ ex parte tertiâ. Quidam & sinopidem
 admiscent cochleæ contusæ. Et per se ci-
 nis inanium cochlearum ceræ mixtus, dis-
 cussoriam vim habet. Fimum columbarum
 per sese, vel cum farinâ hordeaceâ, aut
 avenaceâ illitum. Cantharides mixtâ calce
 panos scapelli vice auferunt. Inguinum tu-

morem cochleæ minutæ cum melle illitæ leniunt.

XXIII. 9. Varices ne nascantur laceratæ sanguine pueris crura jejunis a jejuno illinuntur. Podagras lenit œsypum cum lacte mulieris & cerussâ: fimum pecudum, quod liquidum reddunt: pulmones pecudum: fel arietis cum sevo: mures dissecti impositi: sanguis mustelæ cum plantagine illitus, & vivæ combustæ cinis ex aceto, & rosaceo, si pennâ illinatur, vel si cera & rosaceum admisceatur: fel caninum, ita ne manu attingatur, sed pennâ illinatur: fimum gallinarum: vermium terrenorum cinis cum melle, ita ut tertio die solvantur. Alii ex aquâ illinere malunt. Alii ipsos aceto mensurâ cum melle cyathis tribus, pedibus antè rosaceo perunctis. Cochleæ latæ potæ tollere dicuntur pedum & articulorum dolores. Bibuntur autem binæ in vino tritæ. Eædem illinuntur cum helxines herbæ succo. Quidam ex aceto intrivisse contenti sunt. Quidam sale cum viperâ cremato in ollâ novâ, & sæpius sumpto, aiunt podagrâ liberari. Utile esse & adipe viperino pedes perungi. Et de milvo adfirmant, si inveterato tritoque, quantum tres digiti capiant, bibatur ex aquâ. Aut si pedes sanguine cum urticâ: vel pennis palumborum, cum primùm nascentur, tritis cum urticâ:

vicâ. Quin & fimus eorum articulorum doloribus illinitur: item cinis mustelæ aut cochlearum, & cum amylo, vel tragacanthâ. Incussos articulos aranei telæ commodissimè, curant. Sunt qui cinere earum uti malint, sicut fimi columbini cinere, cum polentâ & vino albo. Articulis luxatis præsentaneum est sebum pecudis cum cinere e capillo mulierum. Per nionibus quoque imponitur sebum pecudum cum alumine: canini capitis cinis, aut fimi murini. Quod si pura sint, ulcera cerâ additâ ad cicatricem perducunt: vel glirium crematorum favilla ex oleo: item muris silvatici cum melle: vermium quoque terrenorum cum oleo vetere: & cochleæ, quæ nudæ inveniuntur. Ulcera omnia pedum sanat cinis earum, quæ vivæ combustæ sint: fimi gallinarum cinis exulcerationes, columbini fimi ex oleo. Adtritus etiam calceamentorum, veteris soleæ crematæ cinis, agninus pulmo & arietis sanat. Dentis caballini contusi farina privatim subluviem. Lacertæ viridis sanguis subtritus, & hominum & jumentorum pedes sublitus sanat. Clavos pedum urina muli mulæve cum luto suo illita: fimum ovium. Jecur lacertæ viridis, vel sanguis flocco impositus. Vermes terreni ex oleo: stellionis caput cum viticis pari modo tritum ex oleo: fimum columbinum deco-

Etum ex aceto. Verrucas verò omnium generum urina canis recens cum suo luto illita : fimi canini cinis cum cerâ : fimum ovium : sanguis recens murinus illitus, vel ipse mus divulsus : herinacei fel : caput laceratæ, vel sanguis, vel cinis totius : membrana senectutis anguium : fimum gallinaceum cum oleo & nitro. Cantharides cum uvâ taminiâ intritæ exedunt : sed ita erosas aliis, quæ ad persananda ulcera monstravimus, curari oportet.

XXIV. 10. Nunc revertemur ad ea, quæ totis corporibus metuenda sunt. Fel canis nigri masculi amuletum esse magi dicunt domûs totius, suffitæ eo purificatæve, contra omnia mala medicamenta. Item sanguine canis respersis parietibus, genitalique ejus sub limine januæ defosso. Minus mirentur hoc, qui sciunt foedissimum animalium in quantum magnificent ricinum, quoniam uni nullus sit exitus sagine, nec finis alia quàm morte, diutiùs in fame viventi. Septenis ita diebus durasse tradunt : at in satietate paucioribus dehiscere. Hunc ex aure sinistrâ canis omnes dolores sedare adalligatum. Eundem in augurio vitalium habent. Nam si æger ei respondeat qui intulerit, a pedibus stanti interrogantique de morbo, spem vitæ certam esse : moriturum nihil respondere. Adjiciunt, ut evellatur ex aure lævâ canis,

cui non sit alius, quàm niger color. Nigidius fugere totâ die canes conspectum ejus, qui e sue id animal evellerit, scriptum reliquit. Rursus magi tradunt, lymphatos sanguinis talpæ adsperfu resipiscere: eos verò qui a nocturnis diis Faunisque agitentur, draconis linguâ, & oculis & felle intestinisque in vino & oleo decoctis, ac sub dio noctu refrigeratis, perunctos matutinis vespertinisque liberari.

XXV. Perfrictionibus remedio esse tradit Nicander amphibænam mortuam adalligatam, vel pellem tantum ejus. Quinimmo arbori, quæ cædatur, adalligata non algere cædentes, faciliusque succidere. Itaque sola serpentium frigori se committit, prima omnium procedens, & ante cuculi cantum. Aliud est cuculo miraculum, quo quis loco primò audiat alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium id effodiatur, non gigni pulices, ubicumque spargatur.

XXVI. Paralysin caventibus pinguia gliarium decoctorum & foricum utilissima tradunt esse: millepedas, ut in anginis diximus, potas phthisin sentientibus: lacertam viridem decoctam in vini sextariis tribus ad cyathum unum, singulis cochlearibus sumptis per dies, donec convalescant. Cochlearum cinerem potum in vino.

XXVII. Comitibus morbis œsypum

cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus dilutum, magnitudine nucis avelanæ, a balineo potum. Testiculos arietinos inveteratos, tritosque dimidio denarii pondere in aquâ vel lactis asinini heminâ. Interdicitur vini potus quinque diebus antè & postea. Magnificè laudatur & sanguis pecudum potus: item fel cum melle, præcipuè agninum. Catulus lactens sumptus, absciso capite pedibusque ex vino & myrrhâ. Lichen mulæ potus in oxymelite cyathis tribus. Stellionis transmarini cinis potus in aceto. Tunicula stellionis, quam eodem modo, ut anguis, exuit, pota. Quidam & ipsum arundine exenteratum inveteratumque bibendum dedêre. Alii in cibo in ligneis veribus inassatum. Operæ pretium est scire quomodo præripiatur, cum exuitur membrana hiberna, aliàs devoranti eam, quoniam nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Observant cubile ejus æstatis. Est autem in loricis ostiorum fenestrarumque, aut cameris sepulcrisve: ibi vere incipiente fissis arundinibus textas opponunt casas, quarum angustiis etiam gaudet, eò facilius exuens circumdatum torporem. Sed eo derelicto non potest remeare. Nihil ei remedio in comitialibus morbis præfertur. Prodest & cerebrum

mustelæ inveteratum potumque, & jecur
 ejus : testiculi, vulvaque, aut ventricu-
 lus inveteratus cum coriandro, ut dixi-
 mus : item cinis : silvestris verò tota in
 cibo sumpta. Eadem omnia prædicantur ex
 viverrâ. Lacerta viridis cum condimentis,
 quæ fastidium abstergeant, ablatis pedibus
 & capite. Cochlearum cinis, addito femi-
 ne lini & urticæ cum melle, unctu sanat.
 Magis placet draconis cauda in pelle dor-
 cadis adalligata cervinis nervis : vel lapil-
 li e ventre pullorum hirundinum sinistro
 lacerto adnexi. Dicuntur enim excluso pul-
 lo lapillum dare. Quòd si pullus is detur
 incipienti in cibo, quem primum pepere-
 rit, cum quis primùm tentatus sit, libera-
 tur eo malo. Postea medetur hirundinum
 sanguis cum thure, vel cor recens devo-
 ratum. Quin & e nido earum lapillus im-
 positus recreare dicitur confestim, & ad-
 alligatus in perpetuum tueri. Prædicatur
 & jecur milvi devoratum, & senectus ser-
 pentium. Jecur vulturis tritum cum suo
 sanguine ter septenis diebus potum. Cor
 pulli vulturini adalligatum. Sed ipsum vul-
 turem in cibo dari jubent, & quidem fa-
 tiatum humano cadavere. Quidam pectus
 ejus bibendum censent, & in cerino ca-
 lyce. Aut testes gallinacei ex aquâ & la-
 cte, antecedente quinque dierum absti-
 nentiâ vini, ob id inveteratos. Fuere &

qui viginti unam muscas rufas, & quidem emortuas, in potu darent, infirmioribus pauciores.

XXVIII. II. Morbo regio resistunt fordes aurium, aut mammaram pecudis denarii pondere cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus: canini capitis cinis in mulso: multipeda in vini heminâ: vermes terreni in aceto mulso cum myrrhâ. Gallina si sit luteis pedibus prius aquâ purificatis, dein collutis vino, quod bibatur. Cerebrum perdicis aut aquilæ in vini cyathis tribus. Cinis plumarum aut interaneorum palumbis in mulso ad cochlearia tria. Passerum cinis sarmentis crematorum cochlearibus duobus in aquâ mulsa. Avis icterus vocatur a colore, quæ si spectetur, fanari id malum tradunt, & avem mori. Hanc puto Latinè vocari galgulum.

XXIX. Phreneticis prodesse videtur pulmo pecudum calidus circa caput alligatus. Nam muris cerebrum dare potui ex aquâ, aut cinerem mustelæ, vel etiam inveteratas herinacei carnes, quis possit furienti, etiamsi certa sit medicina? Bubonis certè oculorum cinerem inter ea, quibus prodigiosè vitam ludificantur, acceperim. Præcipuèque febrium medicina placitis eorum renuntiat. Namque & in XII. signa digessere eam Sole transmeante, iterumque Lunâ: quod totum abdicandum

paucis e pluribus edocebo. Siquidem crematis tritisque cum oleo perungi jubent ægros cum Geminos transit Sol, cristis, & auribus, & unguibus gallinaceorum: si Luna, radiis barbisque eorum: si Virginem alteruter, hordei granis: si Sagittarium, vespertilionis alis: si Leonem Luna, tamaricis fronde, & adjiciunt, fativæ: si Aquarium, e buxo carbonibus tritis. Ex istis confessa, aut certè verisimilia ponemus, sicut & lethargum olfactoriis excitari: inter ea fortassis mustelæ testiculis inveteratis, aut jocinere usto. His quoque pulmonem pecudis calidum circa caput adalligari putant utile.

XXX. In quartanis medicina clinice prope modum nihil pollet. Quamobrem plura eorum remedia ponemus, primùmque ea, quæ adalligari jubent: pulverem in quo se accipiter volutaverit, lino rutilo in linteolo: canis nigri dentem longissimum. Pseudosphecem vocant vespam, quæ singularis volitat: hanc sinistrâ manu adprehensam subnectunt: alii verò, quam quis eo anno viderit primam. Viperæ caput abscisum in linteolo, vel cor viventis exemptum. Muris rostellum auriculasque summas roseo panno, ipsumque dimittunt. Lacertæ vivæ dextrum oculum effossum, mōx cum capite suo deciso, in pelliculâ caprinâ. Scarabæum qui pilulas

volvit. Propter hunc Ægypti magna pars scarabæos inter numina colit, curiosâ Apionis interpretatione, quâ colligat Solis operum similitudinem huic animali esse, ad excusandos gentis suæ ritus. Sed & alium adalligant magi, cui sunt cornicula reflexa, sinistrâ manu collectum. Tertium, qui vocatur fullo, albis guttis, dissectum utriusque lacerto adalligant: cetera sinistro. Cor anguium sinistrâ manu exemptum viventibus. Scorpionis caudæ quatuor articulos cum aculeo, panno nigro, ita ut nec scorpionem dimissum, nec eum qui alligaverit, videat æger triduo. Post tertium circuitum id condat. Erucam in linteolo ter lino circumdant totidem nodis, ad singulos dicentes, quare faciat qui medebitur. Limacem in pelliculâ, vel quatuor limacum capita, præcisa arundine. Multipedam lanâ involutam. Vermiculos ex quibus tabani fiunt, antequam pennas germinent. Alios e spinosis frutescentis lanuginosos. Quidam ex illis quaternos inclusos juglandis nucis putamine adalligant: cochleasque, quæ nudæ inveniuntur. Stellionem inclusum capsulis subjiciunt capiti, & sub decessu febris emittunt. Devorari autem jubent cor mergi marini sine ferro exemptum, inveteratumque conteri, & in calidâ aquâ bibi. Corda hirundinum cum melle. Alii fimum drachmâ unâ in lactis caprini & ovilli, vel passi cyathis tribus,

ante accessiones. Sunt qui totas censeant devorandas. Aspidis cutem pondere sextâ parte denarii cum piperis pari modo, Parthorum gentes in remedium quartanæ bibunt. Chrysippus philosophus tradidit phryganion adalligatum remedio esse quartanis. Quod esset animal neque ille descripsit, nec nos invenimus qui novisset. Demonstrandum tamen fuit a tam gravi auctore dictum, si cujus cura efficacior esset inquirentis. Cornicis carnes esse, & nidum illinere, in longis morbis utilissimum putant. Et in tertianis fiat potestas experiendi, quoniam miserias copia spei delectat, anne aranei, quem lycon vocant, tela cum ipso, in splenio resinæ ceræque imposita utrisque temporibus & fronti proposit: aut ipse calamo adalligatus, qualiter & aliis febribus prodesse traditur: item lacerta viridis adalligata viva in eo vase quod capiat. Quo genere & recidivas frequenter abigi adfirmant.

XXXI. Hydropicis œsypum ex vino additâ myrrhâ modicè potui datur, nucis avellanæ magnitudine. Aliqui addunt & anserinum adipem ex vino myrteo. Sordes ab uberibus ovium eundem effectum habent. Item carnes inveteratæ herinacei sumptæ. Vomitus quoque canum illitus ventri, aquam trahere promittitur.

XXXII. 12. Igni sacro medetur œsyp-

pum cum pompholyge & rosaceo, ricini sanguis, vermes terreni ex aceto illiti, gryllus contritus in manibus. Quo genere præstat, ut qui id fecerit, antequam incipiat vitium, toto eo anno careat. Oportet autem eum ferro cum terrâ cavernæ suæ tolli. Adeps anseris. Viperæ caput aridum adservatum & combustum, deinde ex aceto impositum. Senectus serpentium ex aquâ illita a balineo cum bitumine & sevo agnino.

XXXIII. Carbunculus fimo columbino aboletur per se illico, vel cum lini semine ex aceto mulso. Item apibus, quæ in melle sunt mortuæ, impositis. Polentâque impositâ inspersâ. In verendis, ceterisque ibi ulceribus, occurrit e melle œsypum cum plumbi squamis. Item fimum pecudum incipientibus carbunculis. Tubera & quæcumque molliri opus est, efficacissimè anserino adipe curantur. Idem præstat & gruum adeps.

XXXIV. Furunculis mederi dicitur araneus, priusquam nominetur impositus, & tertio die solutus. Mus araneus pendens enecatus, sic ut terram ne postea attingat, ter circumdatus furunculo, toties exspuentibus medente, & cui is medebitur. Ex gallinaceo fimo quod est rufum maximè, recens illitum ex aceto. Ventriculus ciconiæ ex vino decoctus. Muscæ impari nu-

mero infricatæ digito medico. Sordes ex pecudum auriculis. Sevum ovium vetus cum cinere e capillis mulierum. Sevum arietis cum cinere pumicis & salis pari pondere.

XXXV. Ambustis canini capitis cinis medetur. Item glirium cum oleo. Fimum ovium cum cerâ. Murium cinis : cochlearum quoque : sic ut ne cicatrix quidem appareat. Item adeps viperinus. Fimi columbini cinis ex oleo illitus.

XXXVI. Nervorum nodis capitis viperini cinis ex oleo cyprino. Terreni vermes cum melle illiti. Doloribus eorum amphisbæna mortua adalligata. Adeps vulturinus cum ventre arefactus, contritusque cum adipe fuillo inveterato. Cinis e capite bubonis in mulso potus cum lilii radice, si magis credimus. In contractione nervorum caro palumbina in cibis prodest & inveterata : herinacei, spasticis : item mustelæ cinis. Serpentium senectus in pelle taurinâ adalligata spasmos fieri prohibet. Opisthotonos milvi jecur aridum tribus obolis in aquæ mulsæ cyathis tribus potum.

XXXVII. Reduvias, & quæ in digitis nascuntur pterygia, tollunt, canini capitis cinis, aut vulva decocta in oleo, superillito butyro ovillo cum melle. Item folliculus cujuslibet animalium fellis. Un-

guium scabritiam cantharides cum pice tertio die solutæ, aut locustæ, cum sevo hircino. Pecudum sebum. Aliqui miscent viscum & portulacam, alii æris florem & viscum, ita ut tertio die solvant.

XXXVIII. 13. Sanguinem sistit in naribus sebum ex omento pecudum inditum. Item coagulum ex aquâ, maximè agninum, subductum vel infusum, etiamsi alia non prosint. Adeps anserinus cum butyro pari pondere pastillis ingestus. Cochlearum terrena. Sed & ipsæ extractæ testis. E naribus fluentem sistunt cochleæ contritæ fronti illitæ: aranei tela: gallinacei cerebellum, vel sanguis, profluvia ex cerebro: item columbinus, ob id servatus concretusque. Si verò ex vulnere immodicè fluat, fimi caballini cum putaminibus ovorum cremati cinis impositus mirè sistit.

XXXIX. Vulneribus medetur œsypum cum hordei cinere & ærugine æquis partibus. Ad carcinomata quoque ac serpentina valet. Erodit & ulcerum margines: carnesque excrescentes ad æqualitatem redigit. Explet quoque, & ad cicatricem perducit. Magna vis & in cinere pecudum fimi ad carcinomata, addito nitro: aut in cinere ex ossibus feminum agninorum, præcipuè in his ulceribus, quæ cicatricem non trahunt. Magna & pulmonibus, præcipuè arietum: excrescentes carnes in ulceribus ad æqua-

litatem efficacissimè reducunt. Fimo quoque ipso ovium sub testo calefacto & subactò tumor vulnerum sedatur : fistulæ purgantur sananturque : item epinyctides. Summa verò vis in canini capitis cinere : ex crescentia omnia spodii vice erodit ac persanat. Et murino fimo eroduntur. Item mustelæ fimi cinere. Duritias etiam in alta ulcerum, & carcinomata persequitur multipeda trita, admixtâ resinâ terebinthinâ & Sinopide. Eademque utilissima sunt in his ulceribus, quæ vermibus periclitantur.

Quin & vermium ipsorum genera mirandos usus habent. Cosses, qui in ligno nascuntur, sanant ulcera omnia. Nomas verò combusti cum pari pondere anesi, & ex oleo illiti. Vulnera recentia conglutinant terreni, adeò ut nervos quoque abscessos illitis solidari intra septimum diem persuasio sit : itaque in melle fervandos censent. Cinis eorum margines ulcerum duriores absumit, cum pice liquidâ, vel simblio melle. Quidam arefactis in Sole ad vulnera ex aceto utuntur, nec solvunt, nisi biduo intermisso. Eâdem ratione & cochlearum terrena profunt : totæque exemptæ, tufæ & impositæ, recentia vulnera conglutinant, & nomas sistunt. Herpes quoque animal a Græcis vocatur, quo præcipuè sanantur quæcumque serpunt. Co-

chleæ profunt eis cum testis suis tusæ: cum myrrhâ quidem & thure, etiam præcisos nervos sanare dicuntur. Draconum quoque adeps siccatus in Sole magnopere prodest: item gallinacei cerebrum recentibus plagis. Sale viperino in cibo sumpto, tradunt & ulcera tractabiliora fieri, ac sanari celerius. Antonius quidem medicus cum incidisset insanabilia ulcera, viperas edendas dabat, mirâque celeritate persanabat. Troxalidum cinis margines ulcerum duros aufert cum melle: item fimi columbini cinis cum arsenico & melle, ea quæ erodenda sunt. Bubonis cerebrum cum adipe anserino mirè vulnera dicitur glutinare: quæ verò vocantur cacoethe, cinis feminum arietis cum lacte muliebri, diligenter prius elutis linteolis: ulula avis cocta in oleo, cui liquato miscetur butyrum ovillum & mel. Ulcerum labra duriora apes in melle mortuæ emolliunt. Et elephantiasin sanguis & cinis mustelæ. Verberum vulnera, atque vibices, pellibus ovium recentibus impositis obliterantur.

XL. Articulorum fracturis cinis feminum pecudis peculiariter medetur: efficacius cum cerâ. Idem medicamentum fit ex maxillis simul ustis, cornuque cervino & cerâ mollitâ rosaceo. Ossibus fractis caninum cerebrum linteolo illito, superpositis lanis, quæ subinde suffundantur, fere XIV.

diebus solidat: nec tardiùs cinis silvestris muris cum melle: aut vermium terrenorum, qui etiam ossa extrahit.

XLI. Cicatrices ad colorem reducit pedum pulmo, præcipuè ex ariete, fenum ex nitro: lacertæ viridis cinis: vernatio anguium ex vino decocta: fimum columbinum cum melle. Item vitiligines albas ex vino. Ad vitiliginem & cantharides cum rutæ foliorum duabus partibus in Sole, donec formicet cutis, tolerandæ sunt. Postea fovere, oleoque perungere, necessarium, iterumque illinere, idque diebus pluribus facere, caventes exulcerationem altam. Ad easdem vitiligines & muscas illini jubent cum radice lappathorum: gallinarum fimum candidum, servatum in oleo vetere corneâ pyxide: vespertilionum sanguinem: fel herinacei ex aquâ. Scabiem verò, bubonis cerebrum cum aphronitro, sed ante omnia sanguis caninus, sedant: pruritus cochleæ minutæ, latæ, contritæ, illitæ.

XLII. Arundines, & tela, quæque alia extrahenda sunt corpori, evocat mus dissectus impositus. Præcipuè verò lacerta dissecta, & vel caput ejus tantum contusum cum sale impositum. Cochleæ ex his quæ gregatim folia sectantur, contusæ impositæque cum testis, & eæ quæ manduntur, exemptæ testis: sed cum le-

poris coagulo efficacissimè. Ossa anguinarum eundem cum coagulo cujuscumque quadrupedis intra tertium diem adprobant effectum. Laudantur & cantharides tritæ cum farinâ hordei.

XLIII. 14. In muliebribus malis membranæ a partu ovium proficiunt, sicut in capris retulimus. Fimum quoque pecudum eosdem usus habet. Locustarum suffitu stranguriæ maximè mulierum juvantur. Gallinaceorum testes subinde si a conceptu edat mulier, mares in utero fieri dicuntur. Partus conceptos hystricum cinis potus continet: maturat caninum lac potum, evocat membrana e canum secundis, si terram non attigerit. Lumbos parturientium potus lactis, fimum murinum aquâ pluviâ dilutum mammas mulierum a partu tumentes reficit. Cinis herinaceorum cum oleo perunctarum custodit partus contra abortus. Facilius enituntur, quæ fimum anserinum cum aquæ cyathis duobus sorbere: aut ex utriculo mustelino per genitale effluentes aquas. Vermes terreni illiti, ne cervicis scapularumque nervi doleant, præstant. Graves secundas pellunt in passo poti. Iidem per se impositi, mammaram suppurationes concoquunt & aperiunt, extrahuntque, & ad cicatricem perducunt. Lac devocant poti cum mulso. Inveniuntur & vermiculi, qui adalligati collo con-

tinent partum. Detrahuntur autem sub par-
 tu: aliàs eniti non patiuntur. Cavendum
 etiam ne in terrâ ponantur. Conceptûs
 quoque causâ dantur in potu quini aut sep-
 teni. Cochleæ in cibo sumptæ adcelerant
 partum: item conceptum impositæ cum
 croco. Eadem ex amylo & tragacanthâ illi-
 tæ, profluvia sistunt. Profunt & purgatio-
 nibus sumptæ in cibo, & vulvam averfam
 corrigunt cum medullâ cervinâ, ita ut uni
 cochleæ denarii pondus addatur & cype-
 ri: inflationes quoque vulvarum discutiunt
 exemptæ testis, tritæque cum rosaceo. Ad
 hæc Astypalæicæ maximè eliguntur. Alio
 modo Africanæ binæ tritæ cum feni Græ-
 ci quod tribus digitis capiatur, addito mel-
 le cochlearibus quatuor, illinuntur alvo,
 prius irino succo perunctæ. Sunt & mi-
 nutæ longæque, candidæ cochleæ, passim
 oberrantes. Eæ arefactæ Sole in tegulis,
 tufæque in farinâ, miscentur lomento æquis
 partibus, candoremque & lævorem cor-
 pori adferunt. Scabendi desideria tollunt
 minutæ & latæ cum polentâ. Viperam mu-
 lier prægnans si transcenderit, abortum
 faciet: item amphibænam, mortuam dum-
 taxat. Nam vivam habentes in pyxide, im-
 punè transeunt, etiam si mortua sit: at-
 que adservata, partus faciles præstat vel
 mortua. Mirum, si sine adservatâ transcen-
 derit gravida, innoxium fieri, si protinus

transcendat ad servatam. Anguis inveterati suffitus menstrua adjuvant.

XLIV. Anguim senectus ad alligata lumbis, faciliores partus facit, protinus a puerperio removenda. Dant & in vino bibendam cum thure: aliter sumpta, abortum facit. Baculum, quo angui rana excussa sit, parturientes adjuvat: troxalidum cinis illitus cum melle, purgationes. Item araneus, qui filum deducit ex alto, capi debet manu cavâ, tritusque admoveri: quod si redeuntem prehenderit, inhibebit idem purgationes. Lapis aetites in aquilæ reperiunt nido, custodit partus contra omnes abortuum insidias. Penna vulturina subiecta pedibus adjuvat parturientes. Ovum corvi gravidis cavendum constat, quoniam transgressis abortum per os faciat. Fimum accipitris in mulso potum, videtur fecundas facere. Vulvarum duritias & collectiones, adeps anserinus aut cygni emollit.

XLV. Mammæ a partu custodit adeps anseris cum rosaceo & araneo. Phryges & Lycaones mammis puerperio vexatis invenere otidum adipem utilem esse: his quæ vulvâ strangulentur, & blattas illinunt. Ovorum perdicis putaminum cinis cadmiæ mixtus, & ceræ, stantes mammæ servat. Putant & ter circumductas ovo perdicis non inclinari: & si forbeantur eadem, fecunditatem facere: lactis quoque copiam.

Cum anserino adipe perunctis mammis, dolores minuere, molas uteri rumpere, scabiem vulvarum sedare, si cum cimice trito illinantur.

XLVI. Vespertilionum sanguis psilothri vim habet: sed malis puerorum illitus non fatis proficit, nisi ærugo, vel cicutæ semen postea inducatur: sic enim aut in totum tolluntur pili, aut non excedunt lanuginem. Idem & cerebro eorum profici putant. Est autem duplex, rubens utique & candidum. Aliqui sanguinem & jecur ejusdem admiscent. Quidam in tribus heminis olei discoquunt viperam, exemptis ossibus psilothri vice utuntur, evulsis prius pilis quos renasci nolunt. Fel herinacei psilothrum est, utique mixto cerebro vespertilionis & lacte caprino: item per se cinis. Lacte canis primi partûs, evulsis pilis quos renasci nolunt, vel nondum natis, perunctis partibus, alii non surgunt. Idem evenire traditur sanguine ricini evulsi cani: item hirundinino sanguine, vel felle.

15. Ovis formicarum supercilia denigrari cum muscis tritis tradunt. Si verò oculi nigri nascentium placeant, foricem prægnanti edendum. Capilli ne canescant, vermium terrenorum cinere præstari admixto oleo.

XLVII. Infantibus, qui lacte concreto vexantur, præsidio est agninum coagulum

ex aquâ potum. Aut si coagulatio lactis acciderit, discutitur coagulo ex aceto dato. Ad dentitiones, cerebrum pecoris utilissimum est. Ossibus in canino fimo inventis, adustio infantium, quæ vocatur siriasis, adalligatis emendatur: ramex infantium lacertæ viridis admotæ dormientibus morfu. Postea arundini alligata suspenditur in fumo: traduntque pariter cum eâ exspirante sanari infantem. Cochlearum saliva illita infantium oculis, palpebras corrigit, gignitque. Ramicosis cochlearum cinis cum thure ex uvis albo succo illitus per dies triginta medetur. Inveniuntur in corniculis cochlearum arenacæ duritiæ: eæ dentitionem facilem præstant adalligatæ. Cochlearum inanium cinis admixtus ceræ, procidentium interaneorum partes extremas prohibet. Oportet autem cineri misceri saniam punctis emissam e cerebro viperæ. Cerebrum viperæ illigatum pelliculæ dentitiones adjuvat. Idem valent & grandissimi dentes serpentium. Fimum corvi lanâ adalligatum infantium tussi medetur. Vix est serîo complecti quædam: non omittenda tamen, quia sunt prodita. Ramici infantium lacertâ mederi jubent. Marem hanc prehendi. Id intelligi & quod sub caudâ unam cavernam habeat. Id agendum, ut per aurum, & argentum, aut ostrum mordeat vitium. Tum in calyce

novo illigatur, & in fumo ponitur. Urina infantium cohibetur muribus elixis in cibo datis. Scarabæorum cornua grandia denticulata, adalligata his, amuleti naturam obtinent. Bovæ capiti lapillum inesse tradunt, quem ab eo exspui si necem timeat, inopinantis præciso capite exemptum, adalligatumque, mirè prodesse dentitioni. Item cerebrum ejusdem ad eundem usum adalligari jubent: & limacis lapillum sive ossiculum, quod invenitur in dorso. Magnificè juvat & ovis cerebrum gingivis illitum: sicut aures adeps anserinus cum ocimi succo impositus. Sunt vermiculi in spinosis herbis asperi, lanuginosi: hos adalligatos protinus mederi tradunt infantibus, si quid ex cibo hæreat.

XLVIII. Somnos allicit œsypum cum myrrhæ momento in vini cyathis duobus dilutum, vel cum adipe anserino & vino myrtite: avis cuculus leporinâ pelle adalligatus: ardeolæ rostrum in pelle asininâ fronti adalligatum. Putant & per se rostrum ejusdem effectûs esse vino collutum. E diverso somnum arcet vespertilionis caput aridum adalligatum.

XLIX. In urinâ virili lacerta necata, Venerem ejus qui fecerit, inhibet. Nam inter amatoria esse magi dicunt. Inhibet & fimum cochleæ & columbinum cum oleo & vino potum. Pulmonis vulturini dextræ

partes Venerem concitant viris adalligatæ gruis pelle. Item si lutea ex ovis quinque columbarum, admixto adipis suilli denarii pondere, ex melle forbeantur. Passeres in cibo vel ova eorum. Gallinacei dexter testis arietinâ pelle adalligatus. Ibiu cineres cum adipe anseris & irino perunctis, si conceptus sit, partus continere: contrâ inhiberi Venerem pugnatoris galli testiculis anserino adipe illitis adalligatisque pelle arietinâ tradunt. Item cujuscumque galli gallinacei, si cum sanguine gallinacei lecto subjiciantur. Cogunt concipere invitas fetæ ex caudâ mulæ, si junctis evellantur, inter se colligatæ in coitu. Qui in urinam canis suam ingesserit, dicitur ad Venerem pigrior fieri. Mirum & de stelionis cinere (si verum est) linamento involutum in sinistrâ manu Venerem stimulare: si transferatur in dextram, inhibere. Item vespertilionis sanguinem collectum flocco, suppositumque capiti mulierum, libidinem movere: aut anseris linguam in cibo vel potione sumptam.

L. Phthiriasin a toto corpore pota membrana senectutis anguium triduo necat: ac ferum exempto caseo potum cum exiguo sale. Caseos, si cerebrum mustelæ coagulo addatur, negant corrumpi vetustate, aut a muribus attingi. Ejusdem mustelæ cinis si detur in offâ gallinaceis pullis & colum-

binis, tutos esse a mustelis. Jumentorum urinæ tormina vespertilione adalligato finiuntur. Verminatio ter circumlato verendis palumbo: mirum dictu: palumbus emissus moritur, jumentum liberatur confestim.


LI. Ebriosis ova noctuæ per triduum data in vino, tædium ejus adducunt. Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo præsumptus. Hirundinis rostri cinis cum myrrhâ tritus, & in vino quod bibetur inspersus, securos præstabit a temulentiâ. Invenit hoc Horus Assyriorum rex.

LII. Præter hæc sunt notabilia animalium ad hoc volumen pertinentium. Gromphenam avem in Sardinia narrant grui similem, ignotam jam etiam Sardis, ut existimo. In eadem provinciâ est ophion, cervis tantum pilo similis, nec alibi nascens. Idem auctores nominavere subjugum, quod nec quale esset animal, nec ubi nasceretur tradiderunt. Fuisse quidem non dubito, cum & medicinæ ex eo sint demonstratæ. M. Cicero tradit animalia biuros vocari, qui vites in Campaniâ erodant.

LIII. 16. Reliqua mirabilia ex his quæ diximus. Non latrari a cane membranam ex secundis canis habentem, aut leporis fimum vel pilos tenentem. In culicum genere muliones non amplius, quàm uno die, vivere. Eosque qui arborarii pici ro-

strum habeant, & mella eximant, ab apibus non attingi. Porcos sequi eum, a quo cerebrum corvi acceperint in offâ. Pulverem, in quo se mula volutaverit, corpori inspersum mitigare ardores amoris. Sorices fugari, si unus castratus emittatur. Anguinâ pelle, & sale, & farre cum serpyllo contritis unâ, dejectisque cum vino in fauces boum, uvâ matureſcente, toto anno eos valere: vel si hirundinum pulli tribus offis dentur. Pulvere e vestigio anguium collecto, sparsas apes in alvos reverti. Arietis dextro teste præligato oves tantum gigni. Non lassari in ullo labore, qui nervos ex alis & cruribus gruis habeant. Mulas non calcitrare, cum vinum biberint. Ungulas tantum mularum reperitas, neque aliam ullam materiam, quæ non perroderetur a veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoriâ dignum est, magnâ Aristotelis infamiâ excogitatum. Nunc ad aquatilia revertemur.





LIBER XXXI.

Aquæ, & medicinæ ex aquatilibus.

I. I. **A**QUATILIUM sequuntur in medicinâ beneficia, opifice naturâ ne in illis quidem cessante, & per undas fluctusque ac reciprocos æstus, anniumque rapidos cursus improbas exercente vires: nusquam potentiâ majore, si verum fateri volumus: quippe hoc elementum ceteris omnibus imperat. Terras devorant aquæ, flammâs necant, scandunt in sublime, & cælum quoque sibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem spiritum strangulant: quæ causa fulmina elidit, ipso secum discordante mundo. Quid esse mirabilius potest aquis in cælo stantibus? At illæ ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eò secum piscium examina, sæpe etiam lapides: subeuntque, portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terrâ nascentium causa fiunt, prorsus mirabili naturâ, si quis velit reputare ut fruges gignantur, arbores fruticesque vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam

herbis vitalem inde deferre : justâ confessione, omnes terræ quoque vires aquarum esse beneficii. Quapropter ante omnia ipsarum potentia exempla ponemus. Cunctas enim quis mortalium enumerare queat ?

II. 2. Emicant benignè passimque in plurimis terris, alibi frigidae, alibi calidae, alibi junctae, sicut in Tarbellis Aquitanicâ gente, & in Pyrenæis montibus, tenui intervallo discernente. Alibi tepidae egelidaeque auxilia morborum profitentes, & e cunctis animalium hominum tantum causâ erumpentes. Augent numerum deorum nominibus variis, urbesque condunt, sicut Puteolos in Campaniâ, Statyellas in Liguriâ, Sextias in Narbonensi provinciâ. Nusquam tamen largiùs quàm in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliae sulphuris, aliae aluminis, aliae salis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnullae etiam acidâ falsâve mixturâ. Vapore quoque ipso aliquæ profunt. Tantaque eis est vis, ut balineas calefaciant, ac frigidam etiam in solis fervere cogant, quæ in Baiano Posidianæ vocantur, nomine accepto a Claudii Cæsaris liberti. Obsonia quoque percoquunt. Vaporant & in mari ipso, quæ Licinii Crassi fuere : mediosque inter fluctus existit aliquid valetudini salutare.

III. Jam generatim nervis profunt pe-

dibusve, aut coxendicibus, aliæ luxatis, fractisve. Inaniunt alvos. Sanant vulnera. Capiti auribusque privatim medentur: oculis verò Ciceronianæ. Digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus ejusdem nominis, in quâ & monumenta sibi instauraverat, ceu verò non & in toto terrarum orbe fecisset. Hujus in parte primâ, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureæ Tullii, qui fuit e libertis ejus, ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus ex illâ majestate ingenii. Ponam enim ipsum carmen, dignum ubique, & non ibi tantum legi:

*Quod tua, Romanæ vindex clarissime linguæ,
Silva loco melius surgere jussa viret:
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.*

IV. In eâdem Campaniæ regione Si-

nuessanæ aquæ sterilitatem feminarum, & virorum insaniam abolere produntur.

V. In Ænariâ insulâ, calculosis mederi. Et quæ vocatur acidula, ab Teano Siciliano quatuor millibus passuum: hæc frigida. Item in Stabiano, quæ dimidia vocatur: & in Venafrano, ex fonte Acidulo. Idem contingit in Velino lacu potantibus. Item in Syriæ fonte juxta Taurum montem, auctor est M. Varro: & in Phrygiæ Gallo flumine Callimachus. Sed ibi in potando necessarius modus, ne lymphatos agat: quod in Æthiopiâ accidere his, qui e fonte rubro biberint, Ctesias scribit.

VI. Juxta Romam Albulæ aquæ vulnibus medentur: egelidæ hæ: sed Cutiliæ in Sabinis gelidissimæ, suctu quodam corpora invadunt, ut propè morsus videri possit: aptissimæ stomacho, nervis, universo corpori.

VII. Thespiarum fons conceptus mulieribus repræsentat: item in Arcadiâ flumen Elatum. Custodit autem fetum Linus fons in eâdem Arcadiâ, abortusque fieri non patitur. E diverso in Pyrrhæâ flumen, quod Aphrodisium vocatur, steriles facit.

VIII. Lacus Alphion vitiligines tollit. Varro auctor est, Titium quemdam præturâ functum, marmorei signi faciem habuisse propter id vitium. Cydnus Ciliciæ annis podagricis medetur, sicut apparet

in epistolâ Cassii Parmensis ad M. Antonium. Contrâ, aquarum culpâ in Trœzene omnium pedes vitia sentiunt. Tungri civitas Galliæ fontem habet insignem, plurimis bullis stellantem, ferruginei saporis: quod ipsum non nisi in fine potûs intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit: ac postremò rubescit. Leucogæi fontes inter Puteolos & Neapolim oculis & vulneribus medentur. Cicero in Admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari.

IX. Eudicus in Estiæotide fontes duos tradit esse, Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri: Nelea, ex quo albas, ex utroque autem varias. Theophrastus in Thuriis Crathim candorem facere, Sybarim nigritiam bobus ac pecori.

X. Quin & homines sentire differentiam eam. Nam qui e Sybari bibant, nigriores esse, durioresque, & crispo capillo: qui ex Crathi, candidos mollioresque, ac porrectâ comâ. Item in Macedoniâ qui velint sibi candida nasci, ad Aliacmonem ducere: qui nigra aut fusca ad Axium. Idem omnia fusca quibusdam in locis tradit nasci, & fruges quoque, sicut in Mefapiis. At in Lysis Arcadiæ quodam fonte mures terrestres vivere & conversari. Ery-

thris Aleos amnis pilos gignit in corporibus.

XI. In Bœotiâ ad Trophonium deum juxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter oblivionem adfert, inde nominibus inventis.

XII. In Ciliciâ apud oppidum Cescum rivus fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit. At in Ceâ insulâ fontem esse, quo hebetes fiant: Zamæ in Africâ, quo canoræ voces.

XIII. Vinum in tædium venire his qui ex Clitorio lacu biberint, ait Eudoxus: Theopompus, inebriari fontibus iis quos diximus. Mucianus Andri e fonte Liberi patris, statis diebus septenis ejus dei vinum fluere, si auferatur a conspectu templi, sapore in aquam transeunte.

XIV. Polycritus explere olei vicem juxta Solos Ciliciæ fontem. Theophrastus hoc idem fieri in Æthiopiâ ejusdem nominis fonte. Lycos in Indiæ terris fontem esse, cujus aquâ lucernæ ardeant. Idem Ecbatanis traditur. Theopompus in Scotusâ lacum esse dicit, qui vulneribus medetur.

XV. Juba in Trogodytis lacum, infanum maleficâ vi appellatum, ter die fieri amarum falsumque, ac deinde dulcem, totiesque etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicensimum cubitorum. Idem in Arabiâ fontem exsilire tantâ vi, ut nullâ morâ pondus impactum respuat.

XVI. Theophrastus Marsyæ fontem in Phrygiâ ad Celænarum oppidum saxa egerere. Non procul ab eo duo sunt fontes, Clæon & Gelon, ab effectu Græcorum nominum dicti. Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credit.

XVII. Cranone est fons calidus citra summum fervorem, qui in vinum additus, triduo calorem potionis custodit in vasis. Sunt & Mattiaci in Germaniâ fontes calidi trans Rhenum quorum haustus triduo fervet. Circa margines verò pumicem faciunt aquæ.

XVIII. Quod si quis fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nullâ parte naturæ majora esse miracula: quamquam inter initia operis abundè multa retulimus. Ctesias tradit Siden vocari stagnum in Indis, in quo nihil innatet, omnia mergantur. Cælius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere: Varro, aves, quæ advolaverint, emori. Contrà in Africæ lacu Apuscidamo omnia fluitant, nihil mergitur: item in Siciliae fonte Phinthiâ, ut Apion tradit: & in Medorum lacu puteoque Saturni. Fons Limyræ transire solet in loca vicina, portendens aliquid: mirumque quòd cum piscibus transit. Responsa ab his petunt incolæ cibo, quem rapiunt adnuentes: si verò eventum negent, cau-

dis abigunt. Amnis Olachas in Bithyniâ Bryazum alluit: (hoc & templo & deo nomen) cujus gurgitem perjuri negantur pati, velut flammam urentem. Et in Cantabriâ fontes Tamarici in auguriis habentur. Tres sunt, octonis pedibus distantes. In unum alveum coeunt vasto singuli amne. Siccantur duodecies diebus, aliquando vicies, citra suspicionem ullam aquæ, cùm sit vicinus illis fons sine intermissione largus. Dirum est, non profluere eos aspiciere volentibus: sicut proximè Lartio Licinio, legato post præturam, post septem dies accidit. In Judæâ rivus sabbatis omnibus siccatur.

XIX. E diverso miracula alia dira. Ctesias in Armeniâ scribit esse fontem, ex quo nigros pisces illico mortem adferre in cibis: quod & circa Danubii exortum audivi, donec veniatur ad fontem alveo adpositum, ubi finitur id genus piscium. Ideoque ibi caput ejus amnis intelligit fama. Hoc idem & in Lydiâ in stagno Nympharum tradunt. In Achaiâ ad Pheneum aqua profluit e saxis, Styx appellatur, quæ illico necat, ut diximus. Sed esse pisces parvos in eâ tradit Theophrastus, letales & ipsos, quod non in alio genere mortiferorum fontium. Necare aquas Theopompus & in Thraciâ apud Cychros dicit: Lycus in Leontinis tertio die, quàm quis

biberit. Varro ad Soracten in fonte, cuius sit latitudo quatuor pedum: Sole oriente eum exundare ferventi similem, aves quæ degustaverint, juxtâ mortuas jacere. Namque & hæc insidiosa conditio est, quòd quædam etiam blandiuntur aspectu, ut ad Nonacrin Arcadiæ. Omnino enim nullâ deterrent qualitate. Hanc putant nimio frigore esse noxiam, utpote cùm profluens ipsa lapidescat. Aliter circa Thessalica Tempe, quoniam visus omnibus terrore est: traduntque etiam æs ac ferrum erodi illâ aquâ. Profluit (ut indicavimus) brevi spatio: mirumque, siliqua silvestris amplecti radicibus fontem eum dicitur, semper florens purpurâ. Et quædam sui generis herba in labris fontis viret. In Macedoniâ, non procul Euripidis poetæ sepulcro, duo rivi confluent, alter saluberrimi potûs, alter mortiferi.

XX. In Perperenis fons est, quamcumque rigat, lapideam faciens terram: item calidæ aquæ in Eubœæ Delio. Nam quâ cadit rivus, saxa in altitudinem crescunt. In Eurymenis dejectæ coronæ in fontem, lapides fiunt. In Colossis flumen est, quo lateres coniecti, lapides extrahuntur. In Scyretico metallo arbores quæcumque flumine alluuntur, saxa fiunt cum ramis. Destillantes quoque guttæ in lapides durefcunt in antris Coryciis: nam Miezæ in Ma-

cedoniâ, etiam pendentes in ipsis cameris: at in Coryco, cùm cecidere. In quibusdam speluncis utroque modo, columnasque faciunt, ut in Phausiâ Chersonesi Rhodiorum in antro magno, etiam discolori aspectu. Et hæcenus contenti simus exemplis.

XXI. 3. Quæritur inter medicos, cujus generis aquæ sint utilissimæ. Stagnantes pigrasque meritò damnant, utiliores quæ profluunt existimantes: cursu enim percussuque ipso extenuari atque proficere. Eoque miror, cisternarum ab aliquibus maximè probari. Sed hi rationem adferunt, quoniam levissima sit imbrium aqua, ut quæ subire potuerit ac pendere in aere. Ideo & nives præferunt imbribus, nivibusque etiam glaciem, velut ad finium coactâ subtilitate. Leviora enim hæc esse, & glaciem multò leviolem aquâ. Horum sententiam refelli interest vitæ. In primis enim levitas illa deprehendi aliter, quàm sensu, vix potest, nullo pæne momento ponderis aquis inter se distantibus. Nec levitatis in pluvia aquâ argumentum est subisse eam in cælum, cùm etiam lapides subire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ. Quo fit ut pluviae aquæ sordium inesse plurimum sentiatur, citissimèque ideo calefiat aqua pluvia. Nivem quidem glaciemque subtilissimum elementi

ejus videri miror, adposito grandinum argumento, e quibus pestilentissimum potum esse convenit. Nec verò pauci inter ipsos e contrario ex gelu ac nivibus insaluberrimos potus prædicant, quoniam exactum sit inde, quod tenuissimum fuerit. Minui certè liquorem omnem congelatione deprehenditur, & rore nimio scabiem fieri, pruinâ uredinem, cognatis & nivis causis. Pluvias quidem aquas celerrimè putrescere convenit, minimèque durare in navigatione. Epigenes autem, aquam quæ septies putrefacta purgata sit, perhibet amplius non putrescere. Nam cisternas etiam medici confitentur inutiles, alvo duritias facientes, faucibusque: etiam limi non aliis inesse plus, aut animalium quæ faciunt tædium, confitendum habent. Nec statim amnium utilissimas esse, sicuti nec torrentium ullius, lacusque plurimos salubres maximè. Quædam igitur & hujus generis aptissimæ aliæ alibi. Parthorum reges ex Choaspe & Eulæo tantùm bibunt: & eæ quamvis in longinqua comitatur illos. Et horum placere potum, non quia sint amnes, apparet: quoniam nec e Tigri, nec Euphrate, nec e multis aliis bibunt.

XXII. Limus aquarum vitium est: si tamen idem amnis anguillis scateat, salubritatis indicium habetur: sicuti frigoris, tæniæ in fonte gigni. Ante omnia autem

damnantur amaræ: & quæ, cum forbeantur, statim implent: quod evenit Trœzene. Nam nitrosas atque salmacidas in desertis Rubrum mare petentes, additâ polentâ, utiles intra duas horas faciunt, ipsâque vescuntur polentâ. Damnantur in primis fontes, qui cœnum faciunt, quique malum colorem bibentibus: refert & si vasa ærea inficiunt, aut si legumina tardè percoquunt, si liquatæ leniter terram relinquunt, decoctæque crassis obducunt vasa crustis. Est etiamnum vitium non fœtidæ modò, verùm omnino quidquam resipientis, jucundum sit illud licet gratumque, & ut sæpe, ad viciniam lactis accedens. Aquam salubrem aeri quàm simillimam esse oportet. Unus in toto orbe traditur fons aquæ jucundè olentis in Mesopotamiâ, Chabura. Fabulæ rationem adferunt, quoniam eo Juno perfusa sit. De cetero aquarum salubrium sapor odore nullus esse debet.

XXIII. Quidam staterâ judicant de salubritate, frustrante diligentiam, quando perrarum est, ut levior sit aliqua. Certior subtilitas, inter pares meliorem esse, quæ calefiat refrigereturque celerius. Quin & haustam vasis, ne manus pendeant, depositisque in humum, tepescere adfirmant. Ex quonam ergo genere maximè probabilis continget? Puteis nimirum, ut in oppidis con-

stare video : sed his , quibus exercitatio-
nis ratio crebro haustu contingit , & illa
tenuitas colante terrâ.

Salubritati hæc satis sunt. Frigori & opa-
citas necessaria , utque cælum videant. Su-
per omnia observatio una , eadem & ad
perennitatem pertinet , ut illa e vado ex-
siliat vena , non e lateribus. Nam ut ta-
ctu gelida sit , etiam arte contingit : si
etiam expressa in altum , aut e sublimi de-
jecta , verberatu corripit aera. In natan-
do quidem spiritum continentibus frigi-
dior sentitur eadem. Neronis principis in-
ventum est , decoquere aquam , vitroque
demissam in nives refrigerare. Ita volup-
tas frigoris contingit sine vitiis nivis. Om-
nem utique decoctam utiliore esse con-
venit : item calefactam magis refrigerari ,
subtilissimo invento. Vitiosæ aquæ reme-
dium est , si decoquatur ad dimidias par-
tes. Aquâ frigidâ ingestâ sistitur sanguis.
Æstus in balineis arcetur , si quis ore te-
neat. Quæ sunt haustu frigidissimæ , non
perinde & tactu esse , alternante hoc bono ,
multi familiari exemplo colligunt.

XXIV. Clarissima aquarum omnium in
toto orbe , frigoris salubritatisque palmâ
præconio Urbis , Marcia est , inter reli-
qua deûm munere Urbi tributa. Vocabatur
hæc quondam Aufeia , fons autem ipse Pi-
tonia. Oritur in ultimis montibus. Peligno-

rum : transit Marfos & Fucinum lacum, Romam non dubiè petens. Mox in specus merfa, in Tiburtina se aperit novem millibus pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in Urbem ducere auspiciatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in præturâ. Rursusque restituit M. Agrippa.

XXV. Idem & Virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo duobus millibus pass. Prænestinâ viâ. Juxtâ est Herculaneus rivus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit. Horum amnium comparatione, differentia suprâ dicta deprehenditur, cum quantum Virgo tactu, tantum præstet Marcia haustu. Quamquam utriusque jam pridem Urbi periit voluptas, ambitione avaritiâque in villas ac suburbana detorquentibus publicam salutem.

XXVI. Non ab re sit, quærendi aquas junxisse rationem. Reperiuntur in convalibus maximè, & quodam convexitatis cardine, aut montium radicibus. Multi septentrionales ubique partes aquosas existimavere. Quâ in re varietatem naturæ aperuisse conveniat. In Hyrcanis montibus a meridiano latere non pluit. Ideo silvigeri Aquilonis tantum parte sunt. At Olympus, Ossa, Parnassus, Apenninus, Alpes, undique vestiuntur, amnibusque perfunduntur. Aliqui ab Austro, sicut in Cretâ Al-

bi montes. Nihil ergo in his perpetuæ observationis judicabitur.

XXVII. Aquarum sunt notæ, juncus, aut arundo, aut herba, de quâ dictum est: multumque alicui loco pectore incubans rana. Salix enim erratica, & alnus, aut vitex, aut arundo, aut edera sponte proveniunt, & corrivatione aquæ pluviae in locum humiliorem e superioribus defluentis, augurio fallaci. Certior multò nebulosa exhalatio est, ante ortum Solis longius intuentibus: quod ex edito quidam speculantur, proni terram mento attingente. Est & peculiaris æstimatio peritis tantum nota, quam ferventissimo æstu sequuntur, dieique horis ardentissimis, qualis ex quoque loco repercussus splendeat. Nam si terrâ sitiante humidior est ille, indubitata spes promittitur. Sed tantâ intentione oculorum opus est, ut indolescant, quod fugientes ad alia experimenta decurrunt, loco in altitudinem pedum quinque defosso, ollisque e figlino opere crudis, aut perunctâ pelvi æreâ cooperto, lucernâque ardente concameratâ frondibus, dein terrâ, si figlinum humidum ruptumve, aut in ære sudor, vel lucerna sine defectu olei restincta, aut etiam velus lanæ madidum reperiatur, non dubiè promittunt aquas. Quidam & igne prius

excoquunt locum, tantò efficaciore vasorum argumento.

XXVIII. Terra verò ipsa promittit candidantibus maculis, aut tota glauci coloris. In nigrâ enim scaturigines non fere sunt perennes. Figularis creta semper adimit spes. Nec ampliùs puteum fodiunt, coria terræ observantes, ut a nigrâ descendat ordo suprâ dictus. Aqua semper dulcis in argillosâ terrâ, frigidior in tofo. Namque & hic probatur. Dulces enim levissimasque facit, & colando continet fordes. Sabulum exiles limosasque promittit. Glarea incertas venas, sed boni saporis. Sabulum masculum, & arena, & carbunculus, certas stabilesque & salubres. Rubra faxa optimas, speique certissimæ. Radices montium saxosæ, & silex, hoc ampliùs rigentes. Oportet autem fodientibus humidiores adsiduè respondere glebas, faciliùsque ferramenta descendere. Depressis puteis sulphurata vel aluminosa occurrentia putearios necant. Experimentum huius periculi est demissa ardens lucerna, si extinguatur. Tunc secundùm puteum dextrâ ac sinistrâ fodiunt æstuaria, quæ graviozem illum halitum recipiant. Fit & sine his vitiis altitudine ipsâ gravior aer, quem emendant adsiduo linteorum jactatu ventilando. Cùm ad aquam ventum est, sine arenato opus surgit, ne venæ obstruantur.

Quædam aquæ vere statim incipiente frigidiores sunt, quarum non in alto origo est: hibernis enim constant imbribus: quædam Canis ortu, sicut in Macedonia Pelâ utrumque. Ante oppidum enim incipiente æstate, frigida est palustris: dein maximo æstu in excelsioribus oppidi rîget. Hoc & in Chio evenit, simili ratione portûs & oppidi. Athenis Enneacrunos nimbosâ æstate frigidior est, quàm puteus in Jovis horto. At ille siccitatibus rîget: maximè autem putei circa Arcturum.

4. Non ipsâ æstate deficiunt, omnesque quatrîduo eo subsidunt. Jam verò multî hieme totâ: ut circa Olympum, vere primùm aquis redeuntibus. In Sicilia quidem circa Messanam & Mylas hieme in totum inarescunt fontes: æstate exundant, amnemque faciunt. Apolloniæ in Ponto fons juxta mare æstate tantùm superfluit, & maximè circa Canis ortum: parciùs, si frigidior sit æstas. Quædam terræ imbribus sicciores fiunt, velut in Narniensi agro: quod Admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem.

XXIX. Omnis aqua hieme dulcior, æstate autem minùs, autumnò minimè: minùsque per siccitates. Neque æqualis amnium plerumque gustus est, magnâ alvei differentiâ. Quippe tales sunt aquæ, qualis

terra per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, succi. Ergo iidem amnes parte aliquâ reperiuntur insalubres. Mutant saporem & influentes rivi, ut Borysthenem, victique diluuntur. Aliqui verò & imbre mutantur. Ter accidit in Bosphoro, ut falsi deciderent, necarentque frumenta: toties & Nili rigua pluviae amara fecere, magnâ pestilentiam Ægypti.

XXX. Nascuntur fontes decisis plerumque silvis, quos arborum alimenta consumebant: sicut in Hæmo obsidente Gallos Cassandro, cum valli gratiam silvas cecidissent. Plerumque verò damnosi torrentes corrivantur detractâ collibus silvâ, continere nimbos ac digerere consuetâ. Et colli moverique terram, callumque summæ cutis solvi, aquarum interest. Proditur certè in Cretâ expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesque qui in eo situ multi erant: rursus condito post sex annos emersisse, uti quæque coepissent partes colli.

5. Terræ quoque motus profundunt, forbentque aquas: sicut circa Pheneum Arcadiæ quinquies accidisse constat. Sic & in Coryco monte amnis erupit, posteaque coeptus est colli. Illa mutatio mira, ubi causa nulla evidens apparet: sicut in Magnesiâ calidas factas frigiditas, salis non mutato sapore. Et in Cariâ, ubi Neptuni tem.

plum est, amnis qui fuerat antè dulcis, mutatus in salem est. Et illa miraculi plena, Arethufam Syracusis fimum redolere per Olympia: verique simile, quoniam Alphæus in eam insulam sub ima maria permeet. Rhodiorum fons in Chersoneso nonno anno purgamenta egerit. Mutantur & colores aquarum: sicut Babylone lacus æstate rubras habet diebus XI. Et Borysthenes æstatis temporibus cæruleus fertur, quamquam omnium aquarum tenuissimus: ideoque innatans Hypani. In quo & illud mirabile, Austris flantibus superiorem Hypanim fieri. Sed tenuitatis argumentum & aliud est, quòd nullum halitum, non modò nebulam emittat. Qui volunt diligentes circa hoc videri, dicunt aquas graviores post brumam fieri.

XXXI. 6. Ceterùm a fonte duci fictilibus tubis utilissimum est crassitudine binum digitorum, commissuris pyxidatis, ita ut superior intret, calce vivâ ex oleo lævigatis. Libramentum aquæ in centenos pedes sicilici minimum erit: si cuniculo veniet, in binos actus lumina esse debent. Quam surgere in sublime opus fuerit, e plumbo veniat. Subit altitudinem exortûs sui. Si longiore tractu veniet, subeat crebrò descendatque, ne libramenta pereant. Fistulas denum pedum longitudinis esse legitimum est: Et, si quinarie

erunt, sexagena pondo pendere: si octonariæ, centena: si denariæ, centena vicena, ac deinde ad has portiones. Denariæ appellantur, cujus laminæ latitudo, antequam curvetur, digitorum decem est, dimidioque ejus quinaria. In omni anfractu collis quinariam fieri, ubi dometur impetus, necessarium est: item castella, prout res exiget.

XXXII. Homerum calidorum fontium mentionem non fecisse demiror, cum alioqui lavari calidâ frequenter induceret: videlicet quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio utitur. Est autem utilis sulphurata nervis, aluminata paralyticis, aut simili modo solutis: bituminata aut nitrosa, qualis Cutilia, bibendo atque purgationibus. Plerique in gloriâ ducunt, plurimis horis perpeti calorem earum: quod est inimicissimum: namque paulo diutiùs, quàm balineis, uti oportet, ac postea frigidâ dulcedine, nec sine oleo discedentes: quod vulgus alienum arbitratur, idcirco non alibi corporibus magis obnoxiiis. Quippe & vastitate odoris capita replentur, & frigore infestantur sudantia, corporum parte mersâ. Similis error, quàm plurimo potu gloriantium. Vidique jam turgidos bibendo: in tantum ut anuli integerentur cute, cum reddi non posset hausta multitudo aquæ. Nec hoc

ergo fieri convenit sine crebro falis gustu. Utuntur & cœno fontium ipsorum utiliter : sed ita , si illitum Sole inarescat. Nec verò omnes quæ sint calidæ , medicatas esse credendum , sicut in Segestâ Siciliae , Larisâ , Troade , Magnesiâ , Melo , Liparâ. Nec decolor species æris argentine (ut multi existimavere) medicaminum argumentum est : quando nihil eorum in Patavinis fontibus , ne odoris quidem differentia aliqua deprehenditur.

XXXIII. Medendi modus idem & in marinis erit , quæ calefiunt ad nervorum dolores , ferruminandas fracturas , ossaque contusa : item corpora siccanda , quâ de causâ & frigido mari utuntur. Præterea est alius usus multiplex , principalis verò navigandi phthisi adfectis , ut diximus , aut sanguinem exscreantibus : sicut proximè Annæum Gallionem fecisse post consulatuum meminimus. Neque enim Ægyptus propter se petitur , sed propter longinquitatem navigandi. Quin & vomitiones ipsæ instabili volutione commotæ plurimis morbis capitis , oculorum , pectoris , medentur : omnibusque , propter quæ elleborum bibitur. Aquam verò maris per se efficaciorē discutiendis tumoribus putant medici , si illâ decoquatur hordeacea farina ad parotidas. Emplastris etiam , maximè albis , & malagmatis miscent. Pro-

dest & infusa crebro ictu. Bibitur quoque, quamvis non sine injuriâ stomachi, ad purganda corpora, bilemque atram, aut sanguinem concretum reddendum alterutrâ parte. Quidam & in quartanis dedere eam bibendam, & in tenesimis articularibusque morbis adservatam, & in hoc vetustate virus deponentem. Aliqui decoctam, omnes ex alto haustam, nullâque dulcium mixturâ corruptam, in quo usu præcedere vomitum volunt. Tunc quoque acetum aut vinum aquâ miscent. Qui puram dedere, raphanos supermandi ex mulso aceto jubent, ut ad vomitiones revocent. Clysteribus quoque marinam infundunt tepefactam. Testium quidem tumori fovendo non aliud præferunt. Item pernionum vitio ante ulcera. Simili modo pruritibus, psoris, & lichenum curationi. Lendes quoque & tetra capitis animalia hac curantur: & liventia reducit eadem ad colorem. In quibus curationibus post marinam aceto calido fovere plurimum prodest. Quin & ad ictus venenatos salutaris intelligitur, ut phalangiorum & scorpionum: & ptyade aspide respersis. Calida autem in his adsumitur. Suffitur eadem cum aceto capitis doloribus. Tormina quoque & choleram calida infusa clysteribus sedat. Difficiliùs perfrigescunt marinâ calefacti. Mammæ sororiantes, præcordia, maciemque

corporis piscinæ maris corrigunt. Aurium gravitatem, capitis dolores, cum aceto fermentium vapor. Rubiginem ferro marinæ celerrimè exterunt. Pecorum quoque scabiem sanant, lanasque emolliunt.

XXXIV. Nec ignoro hæc mediterraneis supervacua videri posse. Verùm & hoc cura providit, inventâ ratione quâ sibi quisque aquam maris faceret. Illud in eâ ratione mirum, si plus quàm sextarius salis in quatuor aquæ sextarios mergatur, vinci aquam, salemque non liquari. Ceterò sextarius salis cum quatuor aquæ sextariis, falsissimi maris vim & naturam implet. Moderatissimum autem putant, suprâ dictam aquæ mensuram octonis cyathis salis temperari, quoniam ita & nervos excalefaciat, & corpus non exasperet.

XXXV. Inveteratur: & quod vocant thalassomeli, æquis portionibus maris, mellis, imbris ex alto: & ad hunc usum advehunt, fictilique vase & picato condunt. Prodest ad purgationes maximè sine stomachi vexatione, & sapore grato & odore.

XXXVI. Hydromeli quoque ex imbre puro cum melle temperabatur quondam, quod daretur adpetentibus vini ægris, veluti innocentiore potu, damnatum jam multis annis, iisdem vitiis, quibus vinum, nec iisdem utilitatibus.

XXXVII. Quia sæpe navigantes defectu aquæ dulcis laborant, hæc quoque subsidia demonstrabimus. Expansa circa navim vellera madescunt accepto halitu maris, quibus humor dulcis exprimitur. Item demissæ reticulis in mare concavæ e cerâ pilæ, vel vasa inania obturata, dulcem intra se colligunt humorem. Nam in terrâ marina aqua argillâ percolata dulcescit. Luxata corpora & hominum & quadrupedum, natando in cuius libeat generis aquâ, facillimè in artus redeunt. Est & in metu peregrinantium, ut tentent valetudinem aquæ ignotæ: hoc cavent e balineis egressi statim frigidam suspectam hauriendo.

XXXVIII. Muscus, qui in aquâ fuerit, podagris illitus prodest: item oleo admixto, talorum dolori tumorique. Spuma aquæ adfrictu verrucas tollit. Nec non arena litorum maris, præcipuè tenuis & Sole candens, in medicinâ est siccandis corporibus coopertis hydropicorum, aut rheumatismos sentientium. Et hætenus de aquis: nunc de aquatilibus. Ordinemur autem, ut in reliquis, a principalibus eorum, quæ sunt sal & spongia.

XXXIX. 7. Sal omnis aut fit, aut gignitur: utrumque pluribus modis, sed causa gemina, coacto humore, aut siccato. Siccatur in lacu Tarentino æstivis Solibus, totumque stagnum in salem abit, modicum

cum alioqui, altitudine genua non excedens. Item in Sicilia in lacu qui Cocanicus vocatur, & alio juxta Gelam. Horum extremitates tantum inarescunt, sicut in Phrygiâ, Cappadociâ, Aspendi, ubi largius coquitur, & usque ad medium lacum. Aliud etiam in eo mirabile, quod tantumdem nocte subvenit, quantum die auferas. Omnis est talis sal minutus, atque non gleba est.

Aliud genus ex aquis maris sponte gignitur, spumâ in extremis litoribus ac scopulis relictâ. Hic omnis rore densatur: & est acrior qui in scopulis invenitur.

Sunt etiamnum naturales differentia tres. Namque in Baetris duo lacus vasti, alter ad Scythas versus, alter ad Arios, sale exæstuant: sicut ad Citium in Cypro, & circa Memphin, extrahunt e lacu, dein Sole siccant. Sed & summa fluminum densantur in sale, amne reliquo veluti sub gelu fluente, ut apud Caspias portas, quæ salis flumina appellantur. Item circa Mardos & Armenios. Præterea apud Baetros amnes Ochus & Oxus, ex adpositis montibus deferunt salis ramenta. Sunt & in Africâ lacus, & quidem turbidi, sale ferentes. Ferunt quidem & calidi fontes, sicut Pagasæi. Et hætenus habent se genera ex aquis sponte provenientia.

Sunt & montes nativi salis, ut in In-

dis Oromenus, in quo lapicidinarum modo cæditur renascens: majusque regum vectigal ex eo, quàm ex auro est atque margaritis. Effoditur & e terrâ, ut palam est, humore densato, in Cappadociâ. Ibi quidem cæditur specularium lapidum modo. Ponderus magnum glebis, quas micas vulgus appellat. Gerrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt, aquâ ferruminantes. Invenit & juxta Pelusium Ptolemæus rex, cùm castra faceret. Quo exemplo postea inter Ægyptum & Arabiam, etiam squalentibus locis, cœptus est inveniri, detractis arenis: qualiter & per Africæ sitientia usque ad Hammonis oraculum. Is quidem crescens cum Lunâ notibus. Nam Cyrenaici tractus nobilitantur Hammoniaco & ipso, quia sub arenis inveniatur, appellato. Similis est colore alumini, quod schiston vocant, longis glebis, neque perlucidis, ingratus sapore, sed medicinæ utilis. Probatum quàm maximè perspicuus, rectis scissuris. Insigne de eo proditur, quòd levissimus intra specus suos, in lucem universam prolatus, vix credibili pondere ingravescat. Causa evidens, cuniculorum spiritu madido sic adjuvante molientes, ut adjuvant aquæ. Adulteratur Siculo, quem Cocanicum appellavimus: necnon & Cyprio mirè simili. In Hispaniâ quoque citeriore Egelestæ

cæditur, glebis pæne translucentibus, cui jam pridem palma a plerisque medicis inter omnia salis genera perhibetur. Omnis locus in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit: & in totum sponte nascens intra hæc est.

Factitii varia genera. Vulgaris plurimisque in salinis, mari adfuso, non sine aquæ dulcis riguis, sed imbre maximè juvante, ac super omnia Sole multo, non aliter inarescens. Africa circa Uticam construit acervos salis ad collium speciem: qui ubi Sole Lunâque induruere, nullo humore liquefcunt, vixque etiam ferro cæduntur. Fit tamen & in Cretâ sine riguis, in salinas mare infudentibus: & circa Ægyptum, ipso mari influente in solum (ut credo) Nilo succosum. Fit & e puteis in salinas ingestis. Prima densatio Babylone in bitumen liquidum cogitur, oleo simile, quo & in lucernis utuntur: hoc detracto subest sal. Et in Cappadociâ e puteis ac fonte aquam in salinas ingerunt. In Choniâ excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque salem faciunt inertem, nec candidum. Galliæ Germaniæque ardentibus lignis aquam falsam infundunt.

XL. Hispaniæ quadam sui parte e puteis hauriunt, muriam appellant: & illi quidem etiam lignum referre arbitrantur. Quercus optima, ut quæ per se cinere

sincero vim salis reddat: alibi corylus laudatur: ita infuso liquore falso carbo etiam in salem vertitur. Quicumque ligno confit sal, niger est. Apud Theophrastum invenio, Umbros arundinis & junci cinerem decoquere aquâ solitos, donec exiguum superesset humoris. Quin & e muriâ falsamentorum recoquitur, iterumque consumpto liquore ad naturam suam redit: vulgo e mænis jucundissimus.

XLI. Marinorum maximè laudatur Cyprius a Salamine: de stagnis Tarentinus, ac Phrygius, qui Tattæus vocatur. Hi duo oculis utiles. A Cappadociâ verò, qui in laterculis adfertur, cutis nitorem dicitur facere. Magis tamen extendit is, quem Citieum appellavimus. Itaque a partu ventrem eo cum melanthio illinunt. Salsissimus sal qui siccissimus: suavissimus omnium Tarentinus atque candidissimus: & de cetero fragilis, qui maximè candidus. Pluviâ dulcescit omnis. Suaviorem tamen rores faciunt: sed copiosum Aquilonis flatus. Austro non nascitur. Flos salis non fit, nisi Aquilonibus. In igne nec crepitat, nec exsilit Tragasæus, neque Acanthius ab oppido appellatus: nec ullius spuma, aut ramentum, aut tenuis. Agrigentinus ignium patiens, ex aquâ exsilit. Sunt & colorum differentiæ. Ruber Memphius est circa Oxum: Centuripis purpu-

reus. Circa Gelam in eâdem Siciliâ tantî splendoris, ut imaginem recipiat. In Capadociâ croceus effoditur, translucidus & odoratissimus. Ad medicinæ usus, antiqui Tarentinum maximè laudabant. Ab hoc quemcumque e marinis: ex eo genere, spumeum præcipuè. Jumentorum verò & boum oculis, Tragasæum & Bæticum. Ad obsonium & cibum, utilior, quisquis facile liquefcit; item humidior: minorem enim amaritudinem habent, ut Atticus & Euboicus. Servandis carnibus aptior acer & siccus, ut Megaricus. Conditur etiam odoribus additis, & pulmentarii vicem implet, excitans aviditatem, invitansque in omnibus cibis, ita ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta. Ita est in mandendo quæsitus garo. Quin & pecudes armentaque & jumenta sale maximè sollicitantur ad pastum, multò largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Ergo hercules vita humanior sine sale non quit degere: adeoque necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptatem, animi quoque. Nam ita sales appellantur: omnisque vitæ lepos & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat. Honoribus etiam militiæque interponitur, salariis inde dictis, magnâ apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Sa-

lariæ viæ, quoniam illâ sale in Sabinos portari convenerat. Ancus Marcius rex salis modios sex mille in congiario dedit populo, & salinas primus instituit. Varro etiam pulmentarii vice usos veteres, auctor est: & sale cum pane esitasse eos proverbio apparet. Maximè tamen in facris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine molâ falsâ.

XLII. Salinarum sinceritas summam fecit suam differentiam, quamdam favillam salis, quæ levissima ex eo est & candidissima appellatur & flos salis, in totum diversa res, humidiorisque naturæ, & crocei coloris, aut rufi, veluti rubigo salis: odore quoque ingrato, ceu gari, dissentiens a sale, non modò a spumâ. Ægyptus invenit, videturque Nilo deferri. Et fontibus tamen quibusdam innatat. Optimum ex eo, quod olei quamdam pinguitudinem reddit. Est enim etiam in sale pinguitudo, quod miremur. Adulteratur autem tinguiturque rubricâ, aut plerumque testâ tritâ: qui fucus aquâ deprehenditur, diluente factitium colorem: cum verus ille non nisi oleo resolvatur, & unguentarii propter colorem eo maximè utantur. Canitia in vasis summa est: media verò pars humidior, ut diximus. Floris natura aspera, excalfactoria, stomacho inutilis. Sudorem ciet, alvum solvit in vino & aquâ,

acopis & smegmatis utilis. Detrahit & ex palpebris pilos efficacissimè. Fæces imæ concutiuntur, ut color croci redeat. Præter hæc etiamnum appellatur in salinis falsugo, ab aliis falsilago, tota liquida, marinâ aquâ falsior, vi distans.

XLIII. Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garon vocavere, intestinis piscium, ceterisque quæ abjicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci garon vocabant: capite ejus usto, suffitu extrahi secundas monstrantes.

8. Nunc e scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis: Sociorum id appellatur, singulis millibus nummum permutantibus congios fere binos. Nec liquor ullus pæne præter unguenta majore in pretio esse cœpit, nobilitatis etiam gentibus. Sombros quidem, & Mauretania, Bæticæque Carteia, ex Oceano intrantes capiunt, ad nihil aliud utiles. Laudantur & Clazomenæ garo, Pompeiique, & Lep-tis: sicut muriâ Antipolis, ac Thurii, jam verò & Dalmatia.

XLIV. Vitium hujus est alex, imperfecta nec colata fæx. Cœpit tamen & privatim ex inutili pisciculo, minimoque confici. Apuam nostri, aphien Græci vocant, quoniam is pisciculus e pluviâ nascitur. Fo-

rojulienses piscem ex quo faciunt, lupum appellant. Transiit deinde in luxuriam, creveruntque genera ad infinitum: sicuti garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suavitatem, ut bibi possit. Aliud verò castimoniarum superstitioni etiam, sacrisque Judæis dicatum, quod fit e piscibus squamâ carentibus. Sic alex pervenit ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum jocinera. Innumerisque generibus ad saporem gulæ cœpit sal tabescere. Hæc obiter indicata sint desideriis vitæ: & ipsa tamen nonnullius usûs in mendo. Namque & alece scabies pecoris sanatur, infusâ per cutem incisam: & contra canis morsus draconisque marini prodest. In linteolis autem concerptis imponitur. Et garo ambusta recentia sanantur, si quis infundat, ac non nominet garum. Contra canum quoque morsum prodest, maximèque crocodili, & ulceribus quæ serpunt, aut sordidis. Oris quoque & aurium ulceribus aut doloribus mirificè prodest. Muria quoque, sive illa falsugo, spissat, mordet, extenuat, siccatur. Dysentericis utilis est, etiam si nome intestina corripit. Ischiadicis, cæliacis veteribus, infunditur. Fotu quoque apud mediterraneos aquæ marinæ vicem pensat.

XLV. 9. Salis natura est per se ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia

erodens. Corpora verò adstringens, sic-
cans, alligans: defuncta etiam a putrescen-
do vindicans, ut durent ita per sæcula.
In medendo verò mordens, adurens, re-
purgans, extenuans, dissolvens. Stoma-
cho tantùm inutilis, præterquam ad ex-
citandam aviditatem. Adversùs serpentium
morsus cum origano, melle, hyssopo. Con-
tra cerasten cum origano, aut cedriâ, aut
pice, aut melle. Auxiliatur contra scolo-
pendras ex aceto potus: adversùs scorpio-
num ictus, cum quartâ parte lini feminis,
ex oleo vel aceto illitus: adversùs crabro-
nes verò vel vespas, similiaque, ex ace-
to. Ad heterocraneas, capitisque ulcera,
& pufulas, papulasve, & incipientes ver-
rucas, cum sevo vitulino: item oculorum
remediis, & ad excrecentes ibi carnes,
totiusque corporis pterygia: sed in oculis
peculiariter: ob id collyriis emplastrisque
additur. Ad hæc maximè probatur Tat-
tæus, aut Caunites. Ex ictu verò suffusis
cruore oculis fugillatisque, cum myrrhâ
pari pondere ac melle, aut cum hyssopo
ex aquâ calidâ, utque foveantur falsugi-
ne. Ad hæc Hispaniensis eligitur, contra-
que suffusiones oculorum cum lacte in co-
niculis teritur. Privatim fugillationibus in
lineteolo involutus, crebròque ex aquâ fer-
venti impositus. Ulceribus oris mananti-
bus in lineteolo concepto. Gingivarum tu-

mori infricatus. Et contra scabritiem linguæ fractus comminutusque. Aiunt dentes non erodi, nec putrescere, si quis quotidie mane jejunus salem contineat sub linguâ, donec lique scat. Lepras idem, & furunculos, & lichenas, & pforas emendat cum passâ uvâ, exempto ejus ligno, & sevo bubulo, atque origano, ac fermento, vel pane, maximè Thebaicus. Hic & ad pruritus eligitur. Tonsillis & uvis cum melle prodest. Quicumque ad anginas: hoc ampliùs, cum oleo & aceto eodem tempore extrâ faucibus illitus cum pice liquidâ. Emollit & alvum in vino mixtus innoxie: & tæniarum genera pellit in vino potus. Æstus balinearum convalescentes ut tolerare possint, linguæ subditus præstat. Nervorum dolorem, maximè circa humeros & renes, in faccis aquâ ferventi crebrò madefactus levat. Colum torminaque & coxarum dolores potus: & in iisdem faccis impositus candens. Podagras cum farinâ ex melle & oleo tritus, ibi maximè usurpandâ observatione, quæ totis corporibus nihil esse utilius sale & Sole dixit. Itaque cornea videmus corpora piscatorum. Sed hoc præcipuum dicatur in podagris. Tollit & clavos pedum: item perniones. Ambustis ex oleo imponitur, aut commanducatus, pufulasque reprimit. Ignibus verò sacris, ulceribusque quæ ser-

punt, ex aceto, aut hyssopo. Carcinomat-
 tis cum uvâ taminiâ. Phagedænis ulcerum,
 tostum cum farinâ hordei: super imposi-
 to linteolo madente vino. Morbo regio la-
 borantes, donec sudent ad ignem, contra
 pruritus quos sentiunt, ex oleo & aceto
 infricatus juvat: & fatigatos ex oleo. Mul-
 ti & hydropicos sale curavere, fervoref-
 que febrium cum oleo perunxere, & tus-
 sim veterem linctu ejus discutere. Cly-
 steribus infudere ischiadicis. Ulcerum ex-
 crescentibus vel putrescentibus imposuere.
 Crocodilorum morsibus ex aceto in lin-
 teolis, ita ut batuerentur antè ictuum ul-
 cera. Bibitur & contra opium ex aceto
 mulso. Luxatis imponitur cum farinâ &
 melle: item extuberationibus. Dentium do-
 lori cum aceto fodus, & illitus cum resi-
 nâ prodest. Ad omnia autem spuma salis
 jucundior utiliorque. Sed quicumque sal
 acopis additur ad excalfactiones: item sme-
 gmatis ad extenuandam cutem levandam-
 que. Pecorum quoque scabiem & boum
 illitus tollit. Daturque lingendus: & ocu-
 lis jumentorum inspuitur. Hæc & de sale
 dicta sint.

XLVI. 10. Non est differenda & nitri
 natura, non multum a sale distans: & eò
 diligentius dicenda, quia palam est & me-
 dicos, qui de eo scripsere, ignorasse na-
 turam, nec quemquam Theophrasto dili-

gentiùs tradidisse. Exiguum fit apud Me-
dos, canescentibus siccitate convallibus,
quod vocant halmyrhaga. Minus etiam in
Thraciâ juxta Philippos, fordidum terrâ,
quod appellant agrium. Nam quercu cre-
matâ numquam multum facilitatum est, &
jam pridem in totum omissum. Aquæ verò
nitrosæ pluribus locis reperiuntur, sed si-
ne viribus densandi. Optimum copiosum-
que in Litis Macedoniæ, quod vocant
Chalastricum, candidum, purumque, pro-
ximum sali. Lacus est nitrosus, exsiliante
e medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum cir-
ca Canis ortum novenis diebus, totidem-
que cessat, ac rursus innatat, & deinde
cessat. Quo apparet, soli naturam esse
quæ gignat, quoniam compertum est, nec
Soles proficere quidquam cum cesset, nec
imbres. Mirum est & illud, scatebrâ fon-
ticuli semper emicante, lacum neque au-
geri, neque fluere. Iis autem diebus, qui-
bus gignitur, si fuere imbres, falsius ni-
trum faciunt: Aquilones deterius, quia
validiùs commovent limum. Et hoc qui-
dem nascitur.

In Ægypto autem conficitur multò abun-
dantius, sed deterius. Nam fuscum lapi-
dosumque est. Fit pæne eodem modo quo
sal, nisi quod salinis mare infundunt, Ni-
lum autem nitrariis. Hæ cedente Nilo ma-
dent succo nitri XL. diebus continuis, non

(ut in Macedonia) statis. Si etiam imbres adfuerunt, minus de flumine addunt: statimque ut densari est coeptum, rapitur, ne resolvatur in nitrariis. Sic quoque olei natura intervenit, ad scabiem animalium utilis. Ipsum autem conditum in acervis durat. Mirum, in lacu Ascanio, & quibusdam circa Chalcida fontibus, summas aquas dulces esse potarique, inferiores nitrosas. In nitro optimum, quod tenuissimum: & ideo spuma melior. Ad aliqua tamen sordidum, tamquam ad inficiendas purpuras tincturasque omnes. Magnus & vitro usus, qui dicitur suo loco.

Nitrariae Aegypti circa Naucraticum & Memphim tantum solebant esse, circa Memphim deteriores. Nam & lapidescit ibi in acervis: multique sunt cumuli eadem de causa saxei. Faciunt ex his vasa, nec non frequenter liquatum cum sulphure coquentes in carbonibus. Ad ea quoque, quae inveterari volunt, illo nitro utuntur. Sunt ibi nitrariae, in quibus & rufum exit a colore terrae. Spumam nitri, quae maxime laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, praegnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. Itaque non fieri incitatis, etiamsi caderet. Alii acervorum fermento gigni existimavere. Proxima aetas medicorum aphronitrum tradidit in Asia colligi, in speluncis mollibus destillans. Spe-

cus eos colicas vocant: dein siccant Sole. Optimum putatur Lydium: probatio, ut sit minimè ponderosum, & maximè friabile, colore pæne purpureo. Hoc in pastillis adfertur. Ægyptium in vasis pictis, ne lique scat. Vasa quoque ea Sole inarescentia perficiuntur.

Nitri probatio, ut sit tenuissimum & quàm maximè spongiosum fistulosumque. Adulteratur in Ægypto calce: deprehenditur gustu. Sincerum enim facilè resolvitur: adulteratum pungit. Calce adpersum reddit odorem vehementem. Uritur in testâ opertum, ne exsultet: aliàs igni non exsilit nitrum: nihilque gignit aut alit, cum in salinis herbæ gignantur, & in mari tot animalia, tantùm algæ. Sed majorem esse acrimoniam nitri apparet, non hoc tantùm argumento, sed in illo, quòd nitrariæ calcementa protinus consumunt: aliàs salubres, oculorumque claritati utiles. In nitrariis non lippiunt. Ulcera allata eò celerimè sanantur: ibi facta, tardè. Ciet & sudores cum oleo perunctis, corpusque emolliat. In pane salis vice utuntur Chalastræo: ad raphanos Ægyptio: teneriores eos facit: sed obsonia alba & deteriora, olera viridiora. In medicinâ autem calfacit, extenuat, mordet, spissat, siccatur, exulcerat. Utile his, quæ evocanda sint, aut discutienda, & leniùs mordenda atque exte-

nuanda, sicut in papulis pufulisque. Quidam in hoc usu accensum vino austero restinguunt, atque ita trito in balineis utuntur sine oleo. Sudores nimios inhibet cum aridâ iride, adjecto oleo viridi. Extenuat & cicatrices oculorum, & scabritias genarum cum fico illitum, aut decoctum in passo ad dimidias partes: item contra argema oculorum. Ungues decoctum cum passo in mali Punici calyce adjuvat: claritatem visûs cum melle inunctum. Prodest dentium dolori ex vino, si cum pipere colluantur: item cum porro decoctum. Nigrescentes dentes crematum dentifricio ad colorem reducit. Capitis animalia & lendes necat, cum Samiâ terrâ illitum ex oleo. Auribus purulentis vino liquatum infunditur. Sordes ejusdem partis erodit ex aceto. Sonitus & tinnitus discutit siccum additum. Vitilignes albas cum Cimoliâ cretâ, æquo pondere ex aceto, in Sole illitum emendat. Furunculos admixtum resinæ extrahit, aut cum uvâ albâ passâ, nucleis ejus simul tritis. Testium inflammationi occurrit: item eruptionibus pituitæ in toto corpore cum axungia. Contraque canis morsus, additâ & resinâ: iniitiis cum aceto illinitur. Sic & serpentium morsibus, phagedænis, & ulceribus quæ serpunt, aut putrescunt, cum calce ex ace-

to. Hydropicis cum fico tufum datur illi-
 niturque. Discutit & tormina, si decoctum
 bibatur pondere drachmæ cum rutâ, vel
 anetho, vel cumino. Reficit lassitudines
 cum oleo & aceto perunctorum. Et con-
 tra algores horroresque prodest, manibus
 pedibusque confricatis cum oleo. Com-
 primit & pruritus suffusorum felle, maxi-
 mè cum aceto in usu datum. Succurrit &
 venenis fungorum ex poscâ potum: aut si
 buprestis pasta sit, ex aquâ, vomitiones-
 que evocat. His qui sanguinem tauri bi-
 berint, cum lasere datur. In facie quo-
 que exulcerationes sanat cum melle & la-
 cte bubulo. Ambustis tostum, donec ni-
 grescat, tritumque illinitur. Infunditur ven-
 tris & renium dolori, aut rigori corpo-
 rum, nervorumque doloribus. Paralyti in
 linguâ cum pane imponitur. Suspiriosis in
 ptisanâ fumitur. Tussim veterem sanat flo-
 re, mixto galbano resinæ terebinthinæ,
 pari pondere omnium, ita ut fabæ magni-
 tudo devoretur. Coquitur, dilutumque
 postea cum pice liquidâ forbendum in an-
 ginâ datur. Flos ejus cum oleo cyprino
 articulorum doloribus in Sole jucundus est.
 Regium quoque morbum extenuat in po-
 tione vini. Et inflationes discutit: sangui-
 nis profluvium e naribus sistit ex ferven-
 ti aquâ vapore naribus raptis. Porriginem
 alumine permixto tollit: alarum virus ex


aquâ quotidiano fotu : ulcera ex pituitâ nata cerâ permixtum : quo genere nervis quoque prodest : cœliacis infunditur. Perungi ante accessiones frigidas nitro & oleo multum præcepere : sicut adversus lepras, lentigines. Podagricis in balineis uti folio natri prodest, atrophis, opisthotonis, tetanis. Sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur.


XLVII. II. Spongiarum genera diximus in naturis aquatilium marinorum. Quidam eas ita distinguunt. Alias ex his mares existimavere, tenui fistulâ, spissioresque, perforbentes, quæ & tinguntur in deliciis, aliquando & purpurâ : alias feminas, majoribus fistulis ac perpetuis. E maribus duriores alias, quas appellant tragos, tenuissimis fistulis atque densissimis. Candidæ curâ fiunt, e mollissimis recentes per æstatem tinctæ salis spumâ, ad Lunam & pruinas sternuntur inversæ, hoc est, quâ parte adhæfere, ut candorem bibant. Animal esse docuimus, etiam cruore inhærente. Aliqui narrant & auditu regi eas, contrahique ad sonum, exprimentes abundantiam humoris, nec avelli petris posse, ideo abscindi ac faniem emittere. Quin & eas quæ ab Aquilone sint genitæ, præferunt ceteris. Nec usquam diutiùs durare spiritum medici adfirmant. Sic & prodesse corporibus, quia nostro suum misceant : &

ideo magis recentes magisque humidas; sed minùs in calidâ aquâ, minùsque unctas, aut unctis corporibus impositas: & spissas minùs adhærescere. Mollissimum genus earum penicilli: oculorum tumores levant ex mulso impositi. Iidem abstergendæ lippitudini utilissimi: eosque tenuissimos & mollissimos esse oportet. Imponuntur & spongiæ ipsæ epiphoris ex poscâ: ex aceto calido ad capitis dolores. De cetero recentes discutunt, molliunt, mitigant. Veteres non glutinant vulnera. Usus earum ad abstergenda, fovenda, operienda, a fotu, dum aliud imponatur. Ulcera quoque humida & senilia impositæ siccant: fracturæ & vulnera spongiis utilissimè foventur. Sanguis rapitur in secando, ut curatio perspicui possit. Et ipsæ vulnerum inflammationibus imponuntur, nunc siccæ, nunc aceto adpersæ, nunc vino, nunc aquâ frigidâ. Ex aquâ verò cælesti impositæ, secta recentia non patiuntur intumescere. Imponuntur & integris partibus, sed fluctione occultâ laborantibus, quæ discutienda sit, & iis quæ apostemata vocant, melle decocto perunctis. Item articulis, aliàs aceto falso madidæ, aliàs e poscâ. Si ferveat impetus, ex aquâ. Eædem & callo, e falsâ: at contra scorpionum ictus ex aceto. In vulnerum curatione & succidæ lanæ vicem implent, nunc ex vino &

oleo, nunc ex eâdem. Differentia hæc, quòd lanæ emolliunt, spongiæ coercent, rapiuntque vitia ulcerum. Circumligantur & hydropicis siccæ, vel ex aquâ tepidâ poscâve, utcumque blandioribus opus est operirive aut siccarî cutem. Imponuntur & his morbis, quos vaporari oporteat, ferventi aquâ perfusæ, expressæque inter duas tabulas. Sic & impositæ stomacho profunt, & in feбри contra nimios ardores. Sed splenicis e poscâ, ignibus sacris ex aceto, efficaciores quàm aliud. Imponi oportet sic, ut sanas quoque partes spatiosè operiant. Sanguinis profluvium sistunt ex aceto, aut frigidâ. Livorem ab ictu recentem ex aquâ falsâ calidâ sæpius mutatâ tollunt, testium tumorem doloremque ex poscâ. Ad canum morsus utiliter concisæ imponuntur ex aceto, aut frigidâ, aut melle, subinde humectandæ. Africanæ cinis cum porri sectivi succo sanguinem rejicientibus haustu falsis ex frigidâ prodest. Idem cinis vel cum oleo vel aceto fronti illitus, tertianas tollit. Privatim Africanæ ex poscâ tumorem discutunt. Omnium autem cinis cum pice crematarum, sanguinem sistit vulnerum. Aliqui raras tantùm, ad hoc cum pice urunt. Et oculorum causâ comburuntur in crudâ ollâ figulini operis, plurimùm proficiente eo cinere contra scabritias genarum, excres-

centesque carnes, & quidquid opus sit
 ibi destringere, spissare, explere. Utilius
 in eo usu lavare cinerem. Præstant & stri-
 gilum vicem, linteolorumque, adfectis cor-
 poribus. Et contra Solem aptè protegunt
 capita. Medici inscitiâ ad duo nomina eas
 redegere: Africanas quarum firmissis sit ro-
 bur: Rhodiacasque, ad fovendum mollio-
 res. Nunc autem mollissimæ circa muros
 Antiphelli urbis reperiuntur. Trogus au-
 ctor est, circa Lyciam penicillos mollis-
 simos nasci in alto, unde ablatae sint spon-
 giæ. Polybius super ægrum suspensos,
 quietiores facere noctes. Nunc revertemur
 ad marina animalia & aquatilia.





LIBER XXXII.

Medicinæ ex aquatilibus.

VENTUM est ad summa naturæ exemplorumque, per rerum ordinem: & ipsum suâ sponte occurrit immensum potentiæ occultæ documentum, ut prorsus nec aliud ultrâ quæri debeat, nec par aut simile possit inveniri; ipsâ se vincente naturâ, & quidem numerosis modis. Quid enim violentius mari ventisve, & turbinibus, & procellis? quo majore hominum ingenio in ullâ sui parte adjuta est, quàm velis remisque? Addatur his & reciproci æstûs inenarrabilis vis, versumque totum mare in flumen.

I. Tamen omnia hæc, pariterque eodem impellentia, unus ac parvus admodum pisciculus, echeneis appellatus, in se tenet. Ruant venti licet, & sæviant procellæ, imperat furori, viresque tantas compefcit, & cogit stare navigia: quod non vincula ulla, non ancoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non

retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hoc tantulo fatis est contra tot impetus, ut vetet ire navigia. Sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris. Heu vanitas humana, cùm rostra illa ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta, pisciculus. Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii, prope-rantis circumire & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit & nostrâ memoriâ Caii principis ab Asturâ Antium renavigantis: ut res est etiam auspicalis pisciculus. Siquidem novissimè tum in Urbem reversus ille imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causâ intellectâ, cùm e totâ classe quinqueregis sola non proficeret, exsiliantibus protinus qui id quærerent circa navim, invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus. Qui tunc posteaque vidêre, eum limaci magnæ similem esse dicunt. Nos plurimum opiniones posuimus in naturâ aqua-

tilium, cùm de eo diceremus. Nec dubitamus idem valere omnia genera, cùm celebri & consecrato etiam exemplo apud Gnidiam Venerem conchas quoque ejusdem potentiae credi necesse sit. E nostris quidam Latinè remoram appellavere eum. Mirumque, e Græcis alii lubricos partus atque procidentes contineri ad maturitatem, adalligato eo (ut diximus) prodiderunt: alii sale adservatum adalligatumque gravidis partus solvere, ob id alio nomine odyndolytem appellari. Quocumque modo ista se habeant, quis ab hoc tenendi navigia exemplo de ullâ potentiâ naturæ atque effectu, in remediis sponte nascentium rerum dubitet?

II. Quin & sine hoc exemplo per se satis esset ex eodem mari torpedo: etiam procul, & e longinquo, vel si hastâ virgâve attingatur, quamvis prævalidos laceratos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes. Quòd si necesse habemus fateri hoc exemplo esse vim aliquam, quæ odore tantùm & quadam aurâ sui corporis adficiat membra, quid non de remediorum omnium momentis sperandum est?

III. Non sunt minùs mira, quæ de lepore marino traduntur. Venenum est aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam visus. Siquidem gravidæ si omnino aspexerunt

runt feminam ex eo genere dumtaxat, statim nausæ & redundatione stomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas, ob id induratus sale, ut in brachialibus habeant. Eadem res in mari & tactu quidem nocet. Vescitur eo unum tantum animalium ut non intereat, mulus piscis: tenerescit tantum, & ingrator, viliorque fit. Homines quibus impactus est, piscem olent, hoc primo argumento veneficium id deprehenditur. Ceterò moriuntur totidem diebus, quot vixerit lepus. Incertique temporis veneficium id esse, auctor est Licinius Macer. In Indiâ adfirmant non capi viventem: invicemque ibi hominem illi pro veneno esse, ac vel digito omnino in mari tactum mori. Esse autem ampliore multò, sicut reliqua animalia.

IV. Juba in his voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium, de Arabiâ, tradit mitulos marinos ternas heminas capere. Cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse, pinguique ejus mercatores negotiatos, & omnium piscium adipe camelos perungi in eo situ, ut asilos ab his fugent odore.

V. 2. Mihi videntur mira & quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticôn inscribitur. Scarum

rum inclusum nassis, non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inferere: sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. Quem luctatum ejus si fortè alius scarus extrinsecus videat, adprehensâ mordicus caudâ adjuvare nisus erumpentis. Lupum rete circumdatum arenas arare caudâ, atque ita condi, dum transeat rete. Murænam maculas adpetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat. Polypum hamos adpetere, brachiisque complecti, non morfu: nec priùs dimittere, quàm escam circumroferit, aut arundine levatum extra aquam. Scit & mugil esse in escâ hamum, insidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta est, ut caudâ verberando excutiat cibum. Minùs in providendo lupus solertiae habet, sed magnum robur in poenitendo. Nam ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ. Murænae amplius devorant, quàm hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt. Anthiam tradit idem infixio hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato ei spina, eâque lineam præsecare. Licinius Macer murænas tantùm feminini sexûs esse tradit, & concipere e serpentibus, ut diximus: ob id sibilò a piscatoribus, tamquam serpenti-

bus, evocari & capi: pinguescere jactatur, fuste non interimi, easdem ferulâ protinus. Animam in caudâ habere certum est, eâque ictâ celerrimè exanimari: at capitis ictu difficulter. Novaculâ pisce quæ tacta sunt, ferrum olent. Durissimum esse piscium constat, qui orbis vocetur: rotundus est, & sine squamis, totusque capite constat.

VI. Milvago quoties cernatur extra aquam volitans, tempestates mutari, Trebius Niger auctor est. Xiphiam, id est, gladium, rostro mucronato esse: ab hoc naves perfossas mergi in Oceano, ad locum Mauretaniæ, qui Cotta vocetur, non procul Lixo flumine. Idem loligines evolare ex aquâ tradit, tantâ multitudine ut navigia demergant.

VII. E manu vescuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris villis: sed quæ veteres prodidere in stagnis, non piscinis, admirati, in Eloro Siciliae castello, non procul Syracusis: item in Labrandei Jovis fonte anguillas: hæ & inaures additas gerunt. Similiter in Chio juxta Senum delubrum: in Mesopotamiæ quoque fonte Chaburâ, de quo diximus.

VIII. Nam in Lyciâ Myris in fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fistulâ evocati veniunt ad augurium. Diripere eos carnes objectas, lætum est con-

Sultantibus : caudis abigere, dirum. Hierapoli Syriae in lacu Veneris aedituorum vocibus parent vocati : exornati auro veniunt : adulantes scalpuntur : ora hiantia manibus inferendis praebent. In Stabiano Campaniae ad Herculis petram, melanuri in mari panem abjectum rapiunt : iidem ad nullum cibum, in quo hamus sit, accedunt.

IX. Nec illa in novissimis mira, amaros esse pisces ad Pelen insulam, & ad Clazomenas. Contra, ad scopulum Siciliae, ac Leptin Africae, & Euboeam, & Dyrrachium. Rursus ita falsos, ut possint falsamenta existimari, circa Cephaleniam & Ampelon, & Paron, & Deli petras : in portu ejusdem insulae, dulces. Quam differentiam pabulo constare non est dubium. Apion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedaemonii orthragoriscum vocant : grunnire eum, cum capiatur. Esse vero illam naturae accidentiam, quod magis miremur, etiam in locis quibusdam, adposito occurrit exemplo. Siquidem falsamenta omnium generum in Italia Beneventi refici constat.

X. Pisces marinos in usu fuisse protinus a condita Romae, auctor est Cassius Hemina : cujus verba de ea re hic subjiciam : « Numa constituit, ut pisces qui squamosi non essent ni polluerent : » parsimoniâ

commentus, ut convivia publica & privata, cenæque ad pulvinaria facilius compararentur: ni qui ad polluctum emerent, pretio minùs parcerent eaque præmercerentur.

XI. Quantum apud nos Indicis margaritis pretium est, de quibus suo loco satis diximus, tantum apud Indos in curalio. Namque ista persuasione gentium constant. Gignitur quidem & in Rubro mari, sed nigrius: item in Persico vocatur Iace: laudatissimum in Gallico sinu circa Stoëchadas insulas, & in Siculo circa Æolias, ac Drepanum. Nascitur & apud Graviscas, & ante Neapolim Campaniæ: maximèque rubens, sed molle, & ideo vilissimum Erythris. Forma est ei fruticis, colos viridis. Baccæ ejus candidæ sub aquâ ac molles: exemptæ confestim durantur & rubescunt, quasi corna sativa specie atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si vivat. Itaque occupari, vel lique retibus aut acri ferramento præcidi. Quâ de causâ curalium vocitatum interpretantur. Probatissimum quàm maximè rubens, & quam ramosissimum, nec scabiosum, aut lapideum, aut rursus inane, & concavum. Auctoritas baccarum ejus non minùs Indorum viris quoque pretiosa est, quàm feminis nostris uniones Indici. Aruspices eorum vatesque in primis

religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Prius quàm hoc notesceret, Galli gladios, scuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria est vendibili merce, ut perquam rarò cernatur in suo orbe. Surculi infantiaè adalligati, tutelam habere creduntur. Contraque torminum, ac vesicæ, & calculorum mala in pulverem igne redacti, poti cum aquâ auxiliantur. Simili modo ex vino poti aut si febris sit, ex aquâ, somnum adferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine sæpius potio tradunt lienem quoque absumi. Sanguinem rejicientibus exscreantibusve medentur. Cinis eorum miscetur oculorum medicamentis. Spissat enim ac refrigerat. Ulcerum cava explet. Cicatrices extenuat.

XII. Quod ad repugnantiam rerum adinet, quam Græci antipathiam vocant, nihil est usquam venenatius, quàm in mari pastinaca, utpote cùm radio ejus arbores necari dixerimus. Hanc tamen persequitur galeos. Idem & alios quidem pisces, sed pastinacas præcipuè, sicut in terrâ serpentes mustela. Tanta est aviditas ipsius veneni. Percussis verò ab eâ medetur & hic quidem, sed & mullus, ac laser.

XIII. 3. Spectabilis naturæ potentia in his quoque, quibus & in terris & in aquâ victus est, sicut & fibris, quos castores

vocant, & castorea testes eorum. Ampu-
 tari hos ab ipsis, cum capiantur, negat
 Sextius diligentissimus medicinae. Quin-
 immo parvos esse substrictosque, & ad-
 hærentes spinæ, nec adimi sine vitâ ani-
 malis posse. Adulterari autem renibus ejus-
 dem, qui sint grandes, cum veri testes
 parvi admodum reperiantur. Præterea ne
 vesicas quidem esse, cum sint geminæ,
 quod nulli animalium. In his folliculis in-
 veniri liquorem, & adservari sale. Itaque
 inter probationes falsi, esse folliculos ge-
 minos ex uno nexu dependentes, quod
 ipsum corrumpi fraude conjicientium gum-
 mi cum sanguine, aut Hammoniacum:
 quoniam Hammoniæ coloris esse debeant,
 tunicis circumdati, liquore veluti mellis
 cerosi, odore graves, gustu amaro, & acri,
 friabiles. Efficacissimi e Ponto, Galatiâ-
 que, mox Africâ. Sternumenta olfactu mo-
 vent. Somnum conciliant, cum rosaceo
 & peucedano peruncto capite: & per se
 poti in aquâ: ob id phreneticis utiles. Item
 lethargicos odoris suffitu excitant: vulva-
 rumque exanimationes vel subditi. Et men-
 ses ac secundas cient, duabus drachmis
 ex aquâ cum pulegio poti. Medentur &
 vertigini, opisthotonis, tremulis, spasti-
 cis, nervorum vitiis, ischiadicis, stoma-
 chicis, paralyticis, perunctis omnibus: vel
 triti ad crassitudinem mellis cum semine

viticis, ex aceto aut rosaceo. Sic & contra comitiales sumpti: poti verò contra inflationes, tormina, venena. Differentia tantum contra genera est mixturæ. Quippe adversus scorpiones ex vino bibuntur: adversus phalangia & araneos, ex mulso, ita ut vomitione reddantur, aut ut retineantur, cum rutâ: adversus chalcidas cum myrtite: adversus ceraften & presteras, cum panace, aut rutâ, ex vino: adversus ceteras serpentes, cum vino. Dari binas drachmas satis est: eorum quæ adjiciantur, singulas. Auxiliantur privatim contra viscum ex aceto: adversus aconitum ex lacte, aut aquâ: adversum elleborum album ex aquâ mulsâ nitroque. Medentur & dentibus, infusi cum oleo triti in aurem, a cujus parte doleant: aurium doloribus meliùs, si cum meconio. Claritatem visûs faciunt cum melle Attico inuncti. Cohibent singultus ex aceto. Urina quoque fibri resistit venenis, & ob id in antidota additur. Adservatur autem optimè in suâ vesicâ, ut aliqui existimant.

XIV. 4. Geminus similiter victus in aquis terrâque testudinum, effectusque par: honore habendo, vel propter excellens in usu pretium, naturæque proprietatem. Sunt ergo testudinum genera, terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aquâ vivunt. Has quidam e Græcis emydas appel-

lant. Terrestrium carnes suffitionibus propriae, magicisque artibus refutandis, & contra venena salutare produntur. Plurimae in Africâ. Hæ ibi amputato capite pedibusque, pro antidoto dari dicuntur: & ex jure in cibo sumptæ, strumas discutere, lienes tollere: item comitiales morbos. Sanguis earum claritatem visûs facit, suffusionesque oculorum tollit. Et contra serpentium omnium & araneorum ac similibus venena auxiliatur, servato sanguine in farinâ pilulis factis, & cum opus sit in vino datis. Felle testudinum cum Attico melle glaucomata inungi prodest: & scorpionum plagæ instillari. Tegumenti cinis vino & oleo subactus pedum rimas ulceraque sanat. Squamæ e summâ parte detrasæ, & in potu datæ, Venerem cohibent. Eò magis hoc mirum, quoniam totius tegumenti farina accendere traditur libidinem. Urinam earum aliter quàm in vesicis dissectarum, inveniri posse non arbitror: & inter ea hoc quoque esse, quæ portentosa magi demonstrant, adversus aspidum ictus singulare, efficaciore tamen, ut aiunt, cimicibus admixtis. Ova durata illinuntur strumis, & ulceribus frigore aut adustione factis. Sorbentur in stomachi doloribus.

Marinarum carnes admixtæ ranarum carnibus contra salamandras præclare auxiliantur.

tur. Neque est testudine aliud salamandræ adversius. Sanguine alopeciarum inanitas, & porrigo, omniaque capitis ulcera curantur. Inarescere eum oportet, lentèque abluï. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Adversus comitiales morbos manditur cum polline frumenti. Miscetur autem sanguis heminis tribus, aceti heminâ, vino addito: his & cum hordeaceâ farinâ, aceto quoque admixto, ut sit quod devoretur fabæ magnitudine. Hæc singula & matutina & vespertina dantur, dein post aliquot dies bina vespera. Comitibus instillatur ore diducto, his qui modicè corripiantur. Spasmo cum castoreo clystere infunditur. Quod si dentes ter anno colluantur testudinum sanguine, immunes a dolore fiunt. Et anhelitus discutit, quasque orthopnoëas vocant: ad has in polentâ datur. Fel testudinum claritatem oculorum facit: cicatrices extenuat: tonsillas sedat, & anginas, & omnia oris vitia: privatim nomas ibi: item testium. Naribus illitum comitiales erigit, adtollitque. Idem cum vernatione anguïum aceto admixto, unicè purulentis auribus prodest. Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumque carnum testudinis succum, additâ æquè vernatione anguïum. Sed vino testudinem excoquunt. Oculorum utique vitia omnia fel inunctum cum melle

emendat: suffusiones etiam. Marinæ felle cum fluviatilis sanguine, & lacte, capillus mulierum inficitur. Fel contra salamandras, vel succum decoctæ bibisse satis est.

Testudinum est tertium genus in cœno & paludibus viventium. Latitudo his in dorso pectori similis, nec convexo curvata calyce, ingrata visu. Ex hac quoque tamen aliqua contingunt auxilia. Tres namque in succensa sarmenta coniectæ, dividitibus se tegumentis rapiuntur: tum evulsæ carnes earum coquuntur in aquæ congio, sale modicè addito: ita decoctarum ad tertias partes succus, paralysin & articulares morbos sentientibus bibitur. Detrahit item fel pituitas, sanguinemque vitiatum. Sistitur ab eo remedio alvus aquæ frigidæ potu.

Ex quarto genere testudinum, quæ sunt in amnibus, divulsarum pingui cum aizoo herbâ tuso, admixto unguento & semine lilii, ante accessiones si perungantur ægri, præter caput, mox convoluti calidam aquam bibant, quartanis liberari dicuntur. Hanc testudinem quintadecimâ Lunâ capi oportere, ut plus pinguium reperiatur. Verùm ægrum sextadecimâ Lunâ perungi tradunt. Ex eodem genere testudinum sanguis instillatus cerebro capitis dolores sedat: item strumas. Sunt qui testudinum sanguinem cultro æreo supinarum capitibus præcisis,

excipi novo fictili jubent: ignem sacrum, cujuscumque generis sanguine illini: item capitis ulcera manantia, & verrucas. Idem promittunt testudinum omnium fimo panos discuti. Et licet incredibile dictu sit, aliqui tradunt tardiùs ire navigia, testudinis pedem dextrum vehentia.

XV. Hinc deinde in morbos digere-
mus aquatilia, non quia ignoremus gra-
tiores esse universitatem animalium, ma-
jorisque miraculi: sed hoc utilius est
vitæ, contributa habere remedia, cum
aliud alii prosit, aliud alibi faciliùs in-
veniatur.

XVI. 5. Venenatum mel diximus ubi
nasceretur. Auxilio est piscis aurata in ci-
bo. Vel si ex melle sincero fastidium cru-
ditasve, quæ sit gravissima, incidat, te-
studinem circumcisis pedibus, capite, cau-
dâ, decoctam, antidotum esse, auctor est
Pelops, scincumque Apelles. Qui esset
scincus, diximus: sæpius verò, quantum
veneficii in menstruis mulierum. Contra
omnia ea auxiliatur, ut diximus, mullus.
Item contra pastinacam, & scorpiones ter-
restres marinosque, & dracones, & pha-
langia illitus sumptusve in cibo. Eiusdem
recentis e capite cinis contra omnia vene-
na, privatim contra fungos. Mala medi-
camenta inferri negant posse, aut certè no-
cere, stellâ marinâ vulpino sanguine illi-

tâ, & adfixâ limini superiori, aut clavo
aereo januaë.

XVII. Draconis marini scorpionumque
ictus, carnibus earum impositis: item ara-
neorum morsus sanantur. In summâ con-
tra omnia venena, vel potu, vel ictu,
vel morfu noxia, succus earum e jure de-
coctarum, efficacissimus habetur. Sunt &
servatis piscibus medicinæ, falsamentorum-
que cibus prodest a serpente percussis, &
contra bestiarum ictus, mero subinde hau-
sto, ita ut ad vesperam cibus vomitione
reddatur. Peculiariter a chalcide, ceraste,
aut quas sepas vocant, aut elope, dipsa-
deve percussis. Contra scorpionem largius
sumi, sed non evomi falsamenta prodest,
ita ut sitis toleretur: & imponere eadem
plagis convenit. Contra crocodilorum qui-
dem morsus non aliud præsentius habetur.
Privatim contra presteris morsum sarda
prodest. Imponuntur falsamenta & contra
canis rabiosi: vel si non sint ferro ustæ
plagæ, corporaque clysteribus exinanita,
hoc per se sufficit. Et contra draconem
marinum ex aceto imponuntur. Idem &
cybio effectus. Draco quidem marinus ad
spinæ suæ, quâ ferit, venenum, ipse im-
positus, vel cerebro toto prodest.

XVIII. Ranarum marinarum ex vino &
aceto decoctarum succus contra venena
bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum,

& contra salamandras. E fluviatilibus, si carnes edantur, jusve decoctarum forbeatur, profunt & contra leporem marinum, & contra serpentes supra dictas. Contra scorpiones ex vino. Democritus quidem tradit, si quis extrahat ranæ viventi linguam, nullâ aliâ corporis parte adhærente, ipsâque dimissâ in aquam, imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcumque interrogaverit, vera responsuram. Addunt etiamnum alia magi, quæ si vera sunt, multò utiliores vitæ existimentur ranæ, quàm leges. Namque arundine tranfixâ naturâ per os, si furculus in menstruis defigatur a marito, adulteriorum tædium fieri. Carnibus earum in hamum additis, præcipuè purpuras certum est allici. Jecur ranæ geminum esse dicunt, objicique formicis oportere: eam partem, quam adpetant, contra omnia venena esse pro antidoto. Sunt quæ in vepribus tantum vivunt, ob id rubetarum nomine, ut diximus, quas Græci phrynos vocant, grandissimæ cunctarum, geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum. Mira de his certatim tradunt auctores. Illatis in populum silentium fieri. Ossiculo, quod sit in dextro latere, in aquam ferventem dejecto, refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exempto. Id inveniri objectâ ranâ formicis, carnibusque erosio: singula in fo-

lium addi. Et aliud esse in sinistro latere, quo dejecto fervere videatur, apocynon vocari. Canum impetus eo cohiberi, amorem concitari, & jurgia, addito in potionem. Venerem adalligatum stimulare. Rursus a dextro latere refrigerari ferventia. Hoc & quartanas sanari adalligato in pelliculâ agninâ recenti, aliasque febres. Amorem inhiberi eo. Item ex his ranis lien contra venena, quæ fiant ex ipsis.

XIX. Auxiliatur verò etiam efficacius colubra in aquâ vivens: hujus adipem & fel habentes qui crocodilos venentur, mirè adjuvari dicunt, nihil contra belluâ audente. Efficacius etiamnum, si herba potamogiton misceatur. Cancris fluviatiles triti potique ex aquâ recentes, seu cinere adservato, contra venena omnia profunt, privatim contra scorpionum ictus cum lacte asinino: vel si non sit, caprino, vel quocumque. Addi & vinum oportet. Necant eos triti cum ocimo admoti. Eadem vis contra venenatorum omnium morsus, privatim scytalen, & angues, & contra leporem marinum, ac ranam rubetam. Cinis eorum servatus prodest pavore potûs periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. Quidam adjiciunt Gentianam, & dant in vino. Nam si jam pavor occupaverit, pastillos vino subactos devorandos ita præcipiunt. Decem verò cancris cum ocimi

manipulo alligatis, omnes qui ibi sint scorpiones ad eum locum coituros magi dicunt: & cum ocimo ipsos cineremve eorum percussis imponunt. Minus in omnibus his marini profunt, ut Thrasyllus auctor est. Nihil autem æquè adversari serpentibus, quàm cancos, suesque percussas hoc pabulo sibi mederi. Cùm Sol sit in Cancro, torqueri serpentes. Ictibus scorpionum & carnes fluviatilium cochlearum resistunt crudæ vel coctæ. Quidam ob id falsas quoque adservant. Imponunt & ipsis plagis. Coracini pisces Nilo quidem peculiare sunt: sed & nos hæc omnibus terris demonstramus. Carnes eorum adversus scorpiones valent impositæ. Inter venena sunt piscium, porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læforum: remedio est limus ex reliquo piscium eorum corpore.

XX. Canis rabidi morfu potum expavescentibus, faciem perungunt adipe vituli marini. Efficaciùs, si medullâ hyænæ, & oleo e lentisco, & cerâ misceatur. Murænæ morfus ipsarum capitis cinere sanantur. Et pastinaca contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto illito, vel alterius. Cibi causâ extrahi debet e dorso ejus, quidquid simile est croco, caputque totum: & hanc autem, & omnia testacea modicè collui in cibus, quia saporis gratia perit. E lepore marino veneficium restin-

guunt poti hippocampi. Contra dorycnium echini maximè profunt: & iis qui succum carpati biberent, præcipuè jure sumpto. Et cancri marini decocti jus contra dorycnium efficax habetur. Peculiariter verò contra leporis marini venena.

XXI. 6. Et ostrea adverfantur iisdem. Nec potest videri satis dictum esse de his, cum palma mensarum divitum adtribuantur illis. Gaudent dulcibus aquis, & ubi plurimi influunt amnes: pelagia parva & rara sunt. Gignuntur tamen & in petrosis, carentibusque aquarum dulcium adventu, sicut circa Grynium & Myrinam. Grandescunt sideris quidem ratione maximè, ut in naturâ aquatiliam diximus: sed privatim circa initia æstatis, multo lacte prægnantia, atque ubi Sol penetret in vada. Hæc videtur causa, quare minora in alto reperiantur. Opacitas cohibet incrementum, & tristitiâ minùs adpetunt cibos. Variant coloribus, rufa Hispaniæ, fusca Illyrico, nigra & carne & testâ Circæiis. Præcipua verò habentur in quacunque gente spissa, nec salivâ suâ lubrica, crassitudine potiùs spectanda, quàm latitudine: neque in luto capta, neque in arenosis, sed solido vado, spondylo brevi atque non carnosio, nec fibris laciniis, ac tota in alvo. Addunt peritiores notam, ambiente purpureo crine fibras, eo-

que argumento generosa interpretantur, calliblepharata appellantes. Gaudent & peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. Sic Brundisiana in Averno compacta, & suum retinere succum, & a Lucrino adoptare creduntur. Hæc sint dicta de corpore.

Dicemus & de nationibus: ne fraudentur gloriâ suâ litora: sed dicemus alienâ linguâ, quæque peritissima hujus censuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba, quæ subjiciam: «Cyzicena majora Lucrinis, dulciora Britannicis, suaviora Medulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus». Sed his neque dulciora, neque teneriora esse ulla compertum est. In Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia inveniri prodidere. Necnon inter nos nepotis cujusdam nomenclator tridacna appellavit: tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent.

Dos eorum medica hoc in loco tota dicetur. Stomachum unicè reficiunt: fastidiis medentur. Addiditque luxuria frigus obrutis nive, summa montium & maris ima miscens. Molliunt alvum leniter. Eadem quoque cocta cum mulso, tenesmo, qui sine exulceratione sit, liberant. Vesicarum ulcera quoque repurgant. Cocta in conchis suis uti clausa venerint, mirè destil-

lationibus profunt. Testæ ostreorum cinis uvam sedat, & tonsillas admixto melle. Eodem modo parotidas, panos, mammarumque duritias, capitum ulcera ex aquâ: cutemque mulierum extendit. Inspergitur & ambustis. Et dentifricio placet. Pruribus quoque & eruptionibus pituitæ ex aceto medetur. Crudæ si tundantur, strumas sanant, & perniones pedum. Purpuræ quoque contra venena profunt.

XXII. Et algam maris theriacen esse Nicander tradit. Plura ejus genera, uti diximus: longo folio & latiore, rubente, aliave crispo. Laudatissima, quæ in Cretâ insulâ juxta terram in petris nascitur: tinguendis etiam lanis ita colorem adligans, ut elui postea non possit. E vino jubet eam dari.

XXIII. 7. Alopecias replet hippocampi cinis, nitro & adipe suillo mixtus, aut sincerus ex aceto. Præparant autem sepiarum crustæ farinâ medicamentis cutem, & muris marini cinis cum oleo: item echini cum carnibus suis cremati: fel scorpionis marini. Ranarum quoque trium, si vivæ in ollâ concrementur, cinis cum melle: meliùs cum pice liquidâ. Capillum denigrant sanguisugæ, quæ in nigro vino diebus XL. computruere. Alii in aceti sextariis duobus sanguisugarum sextarium in vase plumbeo jubent putrescere totidem diebus, mox illini in Sole. Sornatius tan-

tam vim hanc tradit, ut nisi oleum ore contineant qui tinguunt, dentes quoque eorum denigrari dicat. Capitis ulceribus, muricum vel purpurarum testæ cinis cum melle utiliter illinitur: conchyliorum, vel si non urantur, farina ex aquâ: doloribus, castoreum cum peucedano & rosaceo.

XXIV. Omnium piscium fluviatilium marinorumque adeps liquefactus Sole admixto melle, oculorum claritati plurimum confert: item castoreum cum melle. Callionymi fel cicatrices sanat, & carnes oculorum supervacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, ut existimavit Menander quoque in Comædiis. Idem piscis & uranoscopos vocatur, ab oculo quem in capite habet. Et coracini fel excitat visum. Et marini scorpionis rufi cum oleo vetere aut melle Attico incipientes suffusiones discutit: inungi ter oportet intermissis diebus. Eadem ratio albugines oculorum tollit. Mullorum cibo aciem oculorum hebetari tradunt. Lepus marinus ipse quidem venenatus est: sed cinis ejus in palpebris pilos inutiles evulsos cohibet. Et ad hunc usum utilissimi minimi: item petunculi falsi triti cum cedriâ: & ranæ, quas diopetas, & calamitas vocant: sanguis earum cum lacrimâ vitis, si evulso pilo palpebris illinatur. Oculorum tumorem ruboremque sepia cortex cum lacte

mulierum illitus sedat; & per se scabritias emendat. Invertunt itaque genas id agentes, & medicamentum auferunt post paulum, rosaceoque inungunt, & pane imposito mitigant. Eodem cortice & nyctalopes curantur, in farinam trito & ex aceto illito. Extrahit & squamas ejus cinis. Cicatrices oculorum cum melle sanat, pterygia cum sale & cadmiâ singulis drachmis. Emendat & albugines oculorum jumentorum. Aiunt & ossiculo ejus genas, si terantur, sanari. Echini ex aceto epinyctidas tollunt. Eundem comburi cum viperinis pellibus ranisque, & cinerem adspergi potioni jubent magi, claritatem visus promittentes. Ichthyocola appellatur piscis, cui glutinosum est corium: idemque nomen glutino ejus. Hoc epinyctidas tollit. Quidam ex ventre, non e corio, fieri dicunt ichthyocollam, ut glutinum taurinum. Laudatur Pontica, candida, & carens venis squamisque, & quæ celerimè liquefcit. Madescere autem debet concisa in aquâ, aut in aceto nocte ac die: mox tundi marinis lapidibus, ut facilius liquefcit. Utilem eam in capitis doloribus adfirmant, & tetanothris. Ranae dexter oculus dextro, sinistro lævus, suspensi e collo nativi coloris panno, lippitudines sanant. Quòd si per coitum ranae eruantur, albuginem quoque, adligati

similiter in putamine ovi. Reliquæ carnes impositæ fugillationem rapiunt. Cancri etiam oculos adalligatos collo mederi lipitudini dicunt. Est parva rana in arundinetis & herbis maximè vivens, muta ac sine voce, viridis, si fortè hauriatur, ventres boum distendens. Hujus corporis humorem specillis derafum claritatem oculis inunctis narrant adferre: ipsasque carnes doloribus oculorum superponunt. Ranas etiam quindecim coniectas in fictile novum juncis configunt quidam: succoque earum, qui ita effluxerit, admiscent vitis albæ lacrimam, atque ita palpebras emendant, inutilibus pilis exemptis, acu instillantes hunc succum in vestigia evulforum. Me- ges psilothrum palpebrarum faciebat in aceto enecans putrescentes, & ad hoc utebatur multis variisque per aquationes autumnii nascentibus. Idem præstare sanguifugarum cinis ex aceto illitus putatur. Comburi eas oportet in novo vase. Idem tæniæ jecur siccatum pondere x. iv. cum oleo cedrino perunctis pilis novem mensibus.

XXV. Auribus utilissimum batiaë piscis fel recens, sed & inveteratum vino: item bacchi, quem quidam myxona vocant: item callionymi cum rosaceo infusum: vel castoreum cum papaveris succo. Vocant & in mari pediculos, eosque tritos instillari ex aceto auribus jubent. Et perse

conchylio infecta lana magnopere prodest. Quidam aceto & nitro madefaciunt. Suntque qui præcipuè contra omnia aurium vitia laudent gari excellentis cyathum, mellis dimidio amplius, aceti cyathum in calyce novo lentâ prunâ decoquere, subinde spumâ pennis detersâ, & postquam desierit spumare, tepidum infundere. Si tumeant aures, coriandri succo prius mitigandas iidem præcipiunt. Ranarum adeps instillatus, statim dolores tollit. Cancrorum fluviatilium succus cum farinâ hordeaceâ aurium vulneribus efficacissimè prodest. Parotides muricum testæ cinere cum melle, vel conchyliorum ex mulso curantur.

XXVI. Dentium dolores sedantur ossibus draconis marini scarificatis gingivis: cerebro caniculæ in oleo decocto adseruatoque, ut ex eo dentes semel anno coluantur. Pastinacæ quoque radio scarificare gingivas, & in dolore utilissimum. Conteritur is, & cum elleboro albo illitus, dentes sine vexatione extrahit. Salsamentorum etiam fictili vase combustorum cinis, additâ farinâ marmoris, inter remedia est. Et cybia vetera usta in novo vase, dein trita, profunt doloribus. Æquè prodesse dicuntur omnium salsamentorum spinæ combustæ, tritæque, & illitæ. Decoquuntur & ranæ singulæ in aceti hemi-

nis, ut dentes ita colluantur, contineaturque in ore succus. Si fastidium obstaret, suspendebat pedibus posterioribus eas Sallustius Dionysius, ut ex ore virus deflueret in acetum fervens, idque e pluribus ranis. Fortioribus stomachis ex jure mandendas dabat. Maxillaresque ita sanari dentes præcipuè putant, mobiles verò suprà dicto aceto stabiliri. Ad hoc quidam ranarum corpora binarum præcisis pedibus in vini heminâ macerant, & ita collui dentium labantes jubent. Aliqui totas adalligant maxillis. Alii denas in aceti sextariis tribus decoxere ad tertias partes, ut mobiles dentium stabilirent. Necnon XXXVI. ranarum corda in olei veteris sextario sub æreo testo discoxere, ut infunderent per aurem dolentis maxillæ. Alii jecur ranæ decoctum & tritum cum melle imposuere dentibus. Omnia suprà scripta ex marinâ ranâ efficaciora. Si cariosi & foetidi sunt, centum in furno arefieri per noctem præcipiunt: postea tantumdem salis addi atque ita fricari. Enhydri vocatur a Græcis colubra in aquâ vivens. Hujus quatuor dentium superioribus in dolore superiorum gingivas scarificant, inferiorum inferioribus. Aliqui canino tantum earum contenti sunt. Utuntur & cancrorum cinere: nam muricum cinis dentifricium est.

XXVII. Lichenas & lepras tollit adeps vituli marini : mænarum cinis cum mellis obolis ternis : jecur pastinacæ in oleo decoctum : hippocampi, aut delphini cinis ex aquâ illitus. Exulcerationem sequi debet curatio, quæ perducit ad cicatricem. Quidam delphini jecur in fictili torrent, donec pinguitudo similis oleo fluat, ac perungunt. Muricum vel conchyliorum testæ cinis maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditque septenis diebus illitus, ita ut octavo candido ovorum foveantur. Muricum generis sunt, quæ vocant Græci coluthia, alii corythia, turbinata æquè, sed minora multò, efficaciora etiam, & oris halitum custodientia. Ichthyocolla erugat cutem, extenditque, in aquâ decocta horis quatuor, dein contrusa, & subacta ad liquorem usque mellis. Ita præparata in vase novo conditur, & in usu quatuor drachmis ejus binæ sulphuris, & anchusæ totidem, octo spumæ argenteæ adduntur, adpersâque aquâ teruntur unâ. Sic illita facies post quatuor horas abluitur. Medetur & lentigini ceterisque vitiis, ex ossibus sepiarum cinis. Idem & carnes excrescentes tollit & humida ulcera. Pforas tollit rana decocta in heminis quinque aquæ marinæ : excoqui debet donec sit lentitudo mellis.

8. Fit in mari & halcyoneum appellatum, ex nidis, ut aliqui existimant, halcyonum & ceycum: ut alii, e fordibus spumarum crassescens: alii, e limo, vel quadam maris lanugine. Quatuor ejus genera: cinereum spissum, odoris asperi: alterum molle, lenius, odore fere algæ: tertium candidioris vermiculi: quartum pumicosius, spongiæque putri simile. Pæne purpureum, quod optimum, hoc & Milesium vocatur. Quò candidius autem, hoc minùs probabile est. Vis eorum, ut exulcerent, purgent. Usus tostis & sine oleo. Mirè lepras, lichenas, lentigines tollunt cum lupino, & sulphuris duobus obolis. Halcyoneo utuntur & ad oculorum cicatrices. Andreas ad lepras cancri cinere cum oleo usus est: Attalus thynni adipis recenti ad oris ulcera.

XXVIII. Mænarum muria, & capitum cinis cum melle fanat strumas. Pungi piscis ejus, qui rana in mari appellatur, ossiculo de caudâ, ita ut non vulneret, prodest. Id faciendum quotidie, donec percurentur. Eadem vis & pastinacæ radio, & lepori marino imposito, ita ut celeriter removeantur: echini testis contusis & ex aceto illitis: item scolopendræ marinæ e melle: cancro fluviatili contrito vel combusto ex melle. Mirificè profunt & sepia ossa cum axungiâ veteri contusa & illita.

Sic & ad parotidas utuntur, & fauri piscis marini jocineribus. Quin & testis cadi falsamentarii tuis cum axungia veteri, muricumque cinere ex oleo ad parotidas strumasque. Rigor cervicis mollitur marinis, qui pediculi vocantur, drachmâ potâ: castoreo potio cum pipere ex mulso mixto ranis decoctis ex oleo & sale, ut forbeatur succus. Sic & opisthotono medentur, & tetano: spasticis verò pipere adjecto. Anginas mænarum falsarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet: ranarum decoctarum ex aceto succus: hic & contra tonsillas prodest. Cancri fluviatiles triti singuli in heminam aquæ anginis medentur gargarizati: aut e vino, & calidâ aquâ poti. Uvæ medetur garum cochlearibus subditum. Vocem siluri recentes, falsive, in cibo sumpti adjuvant.

XXIX. Vomitiones nulli inveterati tritique in potione concitant. Suspiriosis castorea cum Hammoniâ exiguâ portione ex aceto mulso jejunis utilissima potio. Eadem potio spasmos stomachi sedat ex aceto mulso calido. Tussim sanare dicuntur piscium modo e jure decoctæ in patinis ranae. Suspensæ autem pedibus cum destillaverit in patinam saliva earum, exenterari jubentur, abjectisque interaneis condiri. Est rana parva arborem scandens, atque ex eâ vociferans: in hujus os si quis exspuat,

ipsamque demittat, tussi liberari narratur. Præcipiunt & cochleæ crudæ carnem tritam bibere ex aquâ calidâ in tussi cruentâ.

XXX. 9. Jocineris doloribus scorpio marinus in vino necatur, ut inde bibatur. Conchæ longæ carnes ex mulso potæ cum aquâ, pari modo: aut, si febres sint, ex aquâ mulsâ. Lateris dolores leniunt hippocampi tosti sumpti, tetheaque similis ostreo in cibo sumpta: ischiadicorum, muria siluri clystere infusa. Dantur autem conchæ ternis obolis dilutæ in vini sextariis duobus per dies quindecim.

XXXI. Alvum emollit silurus e jure, & torpedo in cibo. Et olus marinum simile sativo: stomacho inimicum, alvum facillimè purgat: sed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur. Et omnium piscium jus. Idem & urinas ciet, e vino maximè. Optimum e scorpionibus & iulide, & saxatilibus, nec virus resipientibus. Coqui debent cum anetho, apio, coriandro, porro, additis oleo & sale. Purgant & cybia vetera, privatimque cruditates, pituitam bilemque trahunt. Purgant & myaces, quorum natura tota in hoc loco dicetur. Acervantur muricum modo, vivuntque in algosis, gratissimi autumnò, & ubi multa dulcis aqua miscetur mari, ob id in Ægypto laudatissimi. Procedente hieme,

amaritudinem trahunt, coloremque rubrum. Horum jus traditur alvum & vesicas exinanire, interanea defringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere. Itaque utilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulario, inflationibus. Item prodesse fellis, pituitæ, pulmonis, jocine-
ris, splenis vitiis, rheumatismis. Fauces tantum vexant, vocemque obtundunt. Ulcera quæ serpant, aut sint purganda, sanant: item carcinomata. Cremati autem, ut murices, & morsus canum hominumque cum melle, lepras, lentigines. Cinis eorum lotus emendat caligines, gingivarum & dentium vitia, eruptiones pituitæ: & contra dorycnium aut opocarpaton antidoti vicem obtinent. Degenerant in duas species: in mitulos, qui salem virusque resipiunt: myiscas, quæ rotunditate differunt, minores aliquantò atque hirtæ, tenuioribus testis, carne dulciores. Mituli quoque, ut murices, cinere causticam vim habent: & ad lepras, lentigines, maculas. Lavantur quoque plumbi modo ad genarum crassitudines, & oculorum albugines, caliginesque, atque in aliis partibus sordida ulcera, capitisque pufulas. Carnes verò eorum ad canis morsus imponuntur. At pelorides emolliunt alvum: item castorea ex aquâ mulsâ drachmis binis. Qui vehe-

mentius volunt, addunt cucumeris fativi radicis siccatae drachmam, & aphronitri duas. Tetheæ torminibus & inflationibus occurrunt. Inveniuntur hæ in foliis marinis fugentes, fungorum veriùs generis, quàm piscium. Eadem & tenesimum dissolvunt, renumque vitia. Nascitur & in mari absinthium, quod aliqui Seriphium vocant, circa Taposirin maximè Ægypti, exilius terrestri. Alvum solvit, & noxiis animalibus intestina liberat. Solvunt & sepiæ. In cibo dantur cum oleo, & sale, & farina, decoctæ. Mænæ falsæ cum felle taurino illitæ umbilico, alvum solvunt. Jus piscium in patinâ coctorum cum lactucis tenesimum discutit. Cancri fluviatiles triti ex aquâ poti, alvum sistunt, urinam cient, in vino alvum. Ademptis brachiis calculos pellunt tribus obolis cum myrrhâ triti, singulis eorum drachmis. Ileos & inflationes castorea cum dauci semine, & petroselini, quantum ternis digitis sumatur, ex mulsi calidi cyathis quatuor: tormina verò cum anetho ex vino mixto. Erythini in cibo sumpti sistunt alvum. Dysentericis medentur ranæ cum scillâ decoctæ, ita ut pastilli fiant: vel cor earum cum melle tritum, ut tradit Niceratus. Morbo regio falsamentum cum pipere, ita ut reliquâ carne abstineatur.

XXXII. Lienî medetur solea piscis im-

positus : item torpedo : item rhombus vivus : dein remittitur in mare. Scorpio marinus necatus in vino, vesicæ vitia, & calculos sanat. Lapis, qui invenitur in scorpionis marini caudâ, pondere oboli potus : enhydridis jecur : blendiorum cinis cum rutâ. Inveniuntur & in bacchi piscis capite ceu lapilli. Hi poti ex aquâ calculosis præclarè medentur. Aiunt & urticam marinam in vino potam prodesse : item pulmonem marinum decoctum in aquâ. Ova sepiæ urinam movent, renumque pituitas extrahunt. Rupta convulsa cancri fluyiatiles triti in asinino lacte maximè sanant : echini verò cum spinis suis con-
tusi in vino poti calculos. Modus singulis hemina : bibitur donec prosit, & aliàs in cibis ad hoc proficiunt. Purgatur vesica & pectinum cibo. Ex his mares alii donacas, alii aulos vocant : feminas onychas. Urinam mares movent. Dulciores feminae sunt & unicolores. Sepiæ quoque ova urinam movent, renes purgant.

XXXIII. Enterocelicis lepus illinitur tritus cum melle. Jecur quoque aquaticæ colubræ, item hydri tritum potumque, calculosis prodest. Ischiadicos autem liberant falsamenta ex siluro infusa clystere, evacuatâ prius alvo. Sedis adtritum cinis e capite mugilum mullorumque : comburuntur autem in fictili vase : illini cum melle

debent. Item capitis mænarum cinis & ad rhagadas, & ad condylomata utilis: sicut pelamidum falsarum capitem cinis, vel cybiorum cum melle. Torpedo adposita procidentis interanei morbum ibi coercet. Cancrorum fluviatilium cinis ex oleâ & cerâ, rimas in eâdem parte emendat: item & marini cancri polline.

XXXIV. Panos falsamenta coracini discutunt: sciænæ interanea & squamæ combustæ: scorpio in vino decoctus, ita ut foveantur ex illo. At echinorum testæ contusæ & ex aquâ illitæ, incipientibus panis resistunt. Muricum vel purpurarum cinis utroque modo, sive discutere opus sit incipientes, sive concoctos emittere. Quidam ita componunt medicamentum: ceræ & thuris drachmas xx. spumæ argenti xl. cineris muricum x. olei veteris heminam. Profunt per se falsamenta cocta. Cancri fluviatiles triti verendorum pufulas discutunt: cinis ex capite mænarum: item carnes decoctæ & impositæ. Similiter percæ falsæ e capite cinis melle addito. Pelamidum capitem cinis, aut squatinæ piscis cutis combusta. Hæc est, quâ diximus lignum poliri: quia & e mari fabriles usus exeunt. Profunt & smarides illitæ: item muricum vel purpurarum testæ cinis cum melle: efficacius crematarum cum carnibus suis. Carbunculos verendo-

rum privatim falsamenta cocta cum melle restinguunt. At testem, si descenderit, cochlearum spumâ illini volunt.

XXXV. Urinæ incontinentiam hippocampi tosti & in cibo sæpius sumpti emendant. Item ophidion pisciculus congrō similis cum lilii radice. Pisciculi minuti, ex ventre ejus qui devoraverit exempti, & cremati, ita ut cinis eorum bibatur ex aquâ. Jubent & cochleas Africanas cum suâ carne comburi, cineremque ex vino Signino dari.

XXXVI. Podagris articulariisque morbis utile est oleum, in quo decocta sint ranarum intestina: & rubetæ cinis cum adipe vetere. Quidam & hordei cinerem adjiciunt, trium rerum æquo pondere. Jubent & lepore marino recenti podagram fricari. Fibrinis quoque pellibus calceari, maximè Pontici fibri. Item vituli marini: cujus & adeps prodest. Nec non & bryon, de quo diximus, lactucæ simile, rugosioribus foliis, sine caule. Natura est ei styptica. Impositumque lenit impetus podagræ. Item alga, de quâ ipsâ dictum est, observaturque in eâ, ne arida imponatur. Perniones emendat pulmo marinus, cancrique marini cinis ex oleo, item fluviatiles triti, sicque cinere & oleo subacti: & siluri adeps. Et in articulis, morborum impetus sedant ranæ subinde re-

centes impositæ: quidam dissectas jubent imponi. Corpus auget jus mitulorum, & concharum.

XXXVII. Comitiales, ut diximus, coagulatum vituli marini bibunt cum lacte equino, asininove, aut cum Punici succo, quidam ex aceto mulso. Nec non aliqui per se pilulas devorant. Castoreum in aceti mulsi cyathis tribus jejunis datur. His verò, qui sæpius corripuntur, clystere infusum mirificè prodest. Castorei drachmæ duæ esse debebunt, mellis & olei sextarius, & aquæ tantumdem. Ad præsens verò correptis olfactu subvenit cum aceto. Datur & mustelæ marinæ jecur, item muris: vel testudinum sanguis.

XXXVIII. 10. Febrium circuitus tollit jecur delphini gustatum ante accessiones. Hippocampi necantur in roseo, ut perungantur ægri in frigidis febribus. Et ipsi adalligantur ægris. Item ex asello pisce lapilli, qui plenâ Lunâ inveniuntur in capite, alligantur in linteolo. Pagri fluvialis longissimus dens capillo adalligatus, ita ut quinque diebus eum qui alligaverit, non cernat æger: ranæ in trivio decoctæ oleo abjectis carnibus, perunctos liberant quartanis. Sunt qui strangulatas in oleo, ipsas clam adalligent, oleoque eo perungant. Cor earum adalligatum frigora febrium minuit: & oleum, in quo in-

testina decocta sint. Maximè autem quartanis liberant, ablatis unguibus ranæ adalligatæ, & rubetæ. Jecur ejus vel cor adalligatur in panno leucophæo. Cancri fluviatiles triti in oleo & aquâ, perunctis ante accessiones in febribus profunt. Aliqui & piper addunt. Alii decoctos ad quartas in vino e balneo egressis bibere suadent in quartanis. Aliqui verò sinistrum oculum devorari jubent. Magi quoque oculis eorum ante Solis ortum adalligatis ægro, ita ut cæcos dimittant in aquam, tertianas abigi promittunt. Eosdem oculos cum carnibus lusciniæ in pelle cervinâ adalligatos, præstare vigiliam somno fugato tradunt. In lethargum vergentibus coagulo balænæ, aut vituli marini ad olfactum utuntur. Alii sanguinem testudinum lethargicis illinunt. Tertianis mederi dicitur & spondylus percæ adalligatus: quartanis cochleæ fluviatiles in cibo recentes. Quidam ob id adservant sale, ut dent tritas in potu.

XXXIX. Strombi in aceto putrefacti, lethargicos excitant odore. Profunt & cardiacis. Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethea utilia sunt cum rutâ ac melle. Hydropicis medetur adeps delphini liquatus, cum vino potus. Gravitati saporis occurritur tactis naribus unguento, aut odoribus, vel quoquo modo obtura-

tis. Strombi quoque carnes tritæ, & in mulsi tribus heminis pari modo aquæ, aut si febres sint, ex aquâ mulsâ datæ proficiunt. Item succus cancrorum fluvialium cum melle. Ranæ quoque aquaticæ in vino vetere & farre decoctæ, ac pro cibo sumptæ, ita ut bibatur ex eodem vase. Vel testudo decisis pedibus, capite, caudâ, & intestinis exemptis, reliquâ carne ita conditâ, ut citra fastidium sumi possit. Cancrî fluviales ex jure sumpti, & phthisicis prodesse traduntur.

XL. Adusta sanantur cancrî marini vel fluvialis cinere; & quæ ferventi aquâ combusta sunt. Hæc curatio etiam pilos restituit cum ranarum fluvialium cinere. Putantque utendum cum cerâ & adipe ursino. Prodest & fibrinarum pellium cinis. Ignes sacros restinguunt ranarum viventium ventres impositi: pedibus posterioribus pronas adalligari jubent, ut crebriore anhelitu prosint. Utuntur & silurorum capitum cinere, balsamentorum ex aceto. Pruritus scabiemque non hominum modò, sed & quadrupedum efficacissimè sedat jecur pastinacæ decoctum in oleo.

XLI. Nervos vel præcisos purpurarum callum, quo se operiunt, tusum glutinat. Tetanicos coagulum vituli adjuvat in vino potum oboli pondere: item ichthyocola. Tremulos castoreum, si ex oleo per-

ungantur. Mullos in cibo inutiles nervis invenio.

XLII. Sanguinem fieri piscium cibo putant, sicuti polypo tufo illitoque. De quo & hæc traduntur: muriam ipsum ex sese emittere, & ideo non debere addi in coquendo: secari arundine: ferro enim infici, vitiumque trahere naturâ desinente. Ad sanguinem sistendum & ranarum illinunt cinerem, vel sanguinem arefactum. Quidam ex eâ ranâ, quam Græci calamitem vocant, quoniam inter arundines frutesque vivat, minima omnium & viridissima, sanguinem cineremve fieri jubent. Aliqui & nascentium ranarum in aquâ, quibus adhuc cauda est, in calyce novo combustarum cinerem, si per nares fluat, injiciendum. Diversus hirudinum, quas sanguifugas vocant, ad extrahendum sanguinem usus est. Quippe eadem ratio earum, quæ cucurbitarum medicinalium, ad corpora levanda sanguine, spiramenta laxanda, judicatur. Sed vitium, quòd admittæ semel desiderium faciunt circa eadem tempora anni semper ejusdem medicinæ. Multi podagris quoque admittendas censuere. Decidunt fatiatæ, & pondere ipso sanguinis detractæ, aut sale adpersæ. Aliquando tamen adfixa relinquunt capita, quæ causa vulnera insanabilia facit, & multos interimit, sicut Messalinum

e consularibus patriciis, cùm ad genu admisisset. Invehunt virus remedio verso: maximèque rufæ ita formidantur. Ergo fugentium ora forficibus præcidunt: ac veluti siphonibus defluit sanguis: paulatimque morientium capita se contrahunt, nec relinquuntur. Natura earum adversatur cimicibus, & suffitu necat eos. Fibrinarum pellium cum pice liquidâ combustarum cinis, narium profluvia sistit, succo porri mollitus.

XLIII. Extrahunt tela corpori inhærentia sepiarum testæ ex aquâ, falsamentorum carnes, cancri fluviatiles triti, siluri fluviatilis, qui & alibi quàm in Nilo nascitur, carnes impositæ recentes sive falsæ. Eiusdem cinis extrahit, & adeps: & cinis spinæ ejus vicem spondii præbet.

XLIV. Ulcera quæ serpunt, & quæ in his excrescunt, ex capite mænarum cinis, vel siluri coercet. Carcinomata percarum capita falsarum: efficacius si cineri earum misceatur sal, & cunilâ capitatâ, oleoque subigantur. Cancrini marini cinis usti cum plumbo, carcinomata compescit. Ad hoc & fluviatilis sufficit cum melle, lineâque lanugine. Aliqui malunt alumen melque miscere cineri. Phagedænæ siluro inveterato, & cum sandaracâ trito: cacoethe, & nomæ, & putrescentia cybio vetere sa-

nantur. Vermes innati ranarum felle tolluntur : fistulæ aperiuntur, siccanturque falsamentis cum linteolo immissis. Intraque alterum diem callum omnem auferunt, & putrescentia ulcerum, quæque serpunt, emplastri modo subacta & illita. Et alex purgat ulcera in linteolis concepit. Item echinorum testæ cinis. Carbunculos coracinorum falsamenta illita discutunt. Item mullorum falsamenti cinis. Quidam capite tantum utuntur cum melle, vel coracinorum carne. Muricum cinis cum oleo tumorem tollit : cicatrices, fel scorpionis marini.

XLV. Verrucas tollit glani jecur illitum: capitis mænarum cinis cum allio tritus: ad thymia crudis utuntur: fel scorpionis marini rufi: smarides tritæ illitæ. Alex defervefacta unguium scabritiam, cinisque e capite mænarum extenuat.

XLVI. Mulieribus lactis copiam facit glauciscus e jure sumptus, & smarides cum ptisanâ sumptæ, vel cum feniculo decoctæ. Mammæ ipsas muricum vel purpuræ testarum cinis cum melle efficaciter sanat. Cancri fluviatiles illiti, vel marini, pilos in mammâ, vel muricum carnes adpositæ tollunt. Squatinæ illitæ crescere mammæ non patiuntur. Delphini adipe linamenta accensa excitant vulvæ strangulatu oppressas. Item strombi in aceto putrefacti. Per-

carum vel mænarum capitis cinis admixto fale, & cunilâ, oleoque, vulvæ medetur: suffitione quoque secundas detrahit. Item vituli marini adeps instillatur igni naribus intermortuarum vulvæ vitio: coagulo ejusdem in vellere imponitur. Pulmo marinus alligatus purgat egregiè profluvia. Echini viventes tusi & in vino dulci poti. Sistunt & cancri fluviatiles triti in vino potique. Item siluri suffitu præcipuè Africi, faciliores partus fieri dicuntur. Cancræ ex aquâ poti profluvia sistere: ex hyssopo purgare. Et si partus stranguletur, similiter poti auxiliantur. Eosdem recentes vel aridos bibunt ad partus continendos. Hippocrates ad purgationes mortuosque partus utitur illis, cum quinis lapathi radicibus, cum rutâ & fuligine tritis, & in mulso datis potui. Idem in jure cocti cum lapatho & apio, menstruas purgationes expediunt: lactisque ubertatem faciunt. Item in feбри quæ fit cum capitis doloribus & oculorum palpitatione, mulieribus in vino austero poti prodesse dicuntur. Castoreum ex mulso potum purgationibus prodest: contraque vulvam olfactum cum aceto & pice, aut subditum pastillis. Ad secundas etiam uti eodem prodest cum panace in quatuor cyathis vini: & a frigore laborantibus ternis obolis. Sed si castoreum fibrumve supergrediatur gravida, abortum

facere dicitur, & periclitari partus, si superferatur. Mirum & quod de torpedine invenio: si capiatur, cum Luna in Librâ sit, triduoque adservetur sub dio, faciles partus facere postea, quoties inferetur. Adjuvare & pastinacæ radius adalligatus umbilico existimatur, si viventi ablatus sit, ipsaque denuo in mare dimissa. Invenio apud quosdam ostracium vocari, quod aliqui onychem vocant: hoc suffitum vulvæ pœnis mirè resistere. Odorem esse castorei, meliùsque cum eo ustum proficere. Vetera quoque ulcera & cacoethe ejusdem cinere sanari. Nam carbunculos & carcinomata in mulierum parte præsentissimo remedio sanari tradunt cancro feminâ, cum salis flore contuso, post plenam Lunam, & ex aquâ illito.

XLVII. Psilothrum est thynni sanguis, fel, jecur, sive recentia, sive servata. Jecur etiam tritum, mixtâque cedriâ plumbeâ pyxide adservatum. Ita pueros mangonizavit Salpe obstetrix. Eadem vis est pulmonis marino: leporis marini sanguini & felli: vel si in oleo hic necetur. Cancro, scolopendræ marinæ cinis cum oleo: urtica marina trita ex aceto scillite: torpedinis cerebrum cum alumine illito sextâ Lunâ. Ranæ parvæ, quam in oculorum curatione descripsimus, sanies efficacissimè psilothrum est, si recens illinatur: &

ipsa arefacta ac tusa, mox decocta tribus heminis ad tertias, vel in oleo decocta æreis vasis eadem mensurâ. Alii ex quindecim ranis conficiunt psilothrum, sicut in oculis diximus. Sanguisugæ quoque tostæ in vase fictili & ex aceto illitæ, eundem contra pilos habent effectum. Hic & suffitus urentium eas necat cimices invectos. Castoreo quoque cum melle pro psilothro usi pluribus diebus reperiuntur. In omni autem psilothro evellendi prius sunt pili.

XLVIII. Infantium gingivis dentitionibusque plurimum confert delphini cum melle dentium cinis, & si ipso dente gingivæ tangantur. Adalligatus idem pavores repentinos tollit. Idem effectus & caniculæ dentis. Ulcera verò, quæ in auribus, aut ullâ corporis parte fiant, cancrorum fluviatilium succus cum farinâ hordeaceâ sanat. Et ad reliquos morbos triti in oleo perunctis profunt. Siriasim infantium spongiâ frigidâ crebrò humefacta, rana inversa adalligata efficacissimè sanat, quam aridam inveniri adfirmant.

XLIX. Mullus in vino necatus, vel piscis rubellio, vel anguillæ duæ, item uva marina in vino putrefacta, iis qui inde biberint, tædium vini adfert.

L. Venerem inhibet echeneis, & hippopotami frontis e sinistra parte pellis in

agninâ adalligata, felve torpedinis vivæ genitalibus illitum. Concitant cochlearum fluviatilium carnes sale adfervatæ, & in potu ex vino datæ erythini in cibo sumpti: jecur ranæ diopetis vel calamitæ in pelliculâ gruis alligatum, vel dens crocodili maxillaris, adnexus brachio, vel hippocampus, vel nervi rubetæ dextro lacerto adalligati. Amorem finit in pecoris recenti corio rubeta alligata.

LI. Equorum scabiem ranæ decoctæ in aquâ extenuant, donec illiniri possit. Aiunt ita curatos non repeti postea. Salpe negat canes latrare, quibus in offâ rana viva data sit.

LII. Inter aquatilia dici debet & calamochnus, Latinè adarca appellata. Nasctur circa arundines tenues e spumâ aquæ dulcis ac marinæ, ubi se miscent. Vim habet causticam: ideo acopis additur contra perfrictionum vitia. Tollit & mulierum lentigines in facie.

Et calami simul dici debent: Phragmitis radix recens tusa luxatis medetur, & spinæ doloribus ex aceto illita. Cyprii verò, qui & donax vocatur, cortex alopecii medetur ustus, & ulceribus veteratis: folia extrahendis quæ infixæ sint corpori, & igni sacro. Paniculæ flos si aures intravit, exfurdatur.

Sepiæ atramento tanta vis est, ut in

lucernâ addito Æthiopas videri, ablato priore lumine, Anaxilaus tradat. Rubeta excocta aquâ, potui data, suum morbis medetur: vel cuiusque ranæ cinis. Pulmone marino si confricetur lignum, ardere videtur, adeò ut baculum ita præluceat.

LIII. 11. Peractâ aquatiliam dote, non alienum videtur indicare per tot maria, tam vasta, & tot millibus passuum terræ infusa, extrâque circumdata mensurâ pæne ipsius mundi, quæ intelligantur animalia centum septuaginta quatuor omnino generum esse, eaque nominatim complecti: quod in terrestribus volucibusque fieri non quit. Neque enim omnis Indiæ, Æthiopiæque, aut Scythiæ, desertorumve novimus feras aut volucres, cum hominum ipsorum multò plurimæ sunt differentiæ, quas invenire potuimus. Accedat his Taprobane, insulæque aliæ Oceani fabulosè narratæ. Profectò conveniet non posse omnia genera in contemplationem universam vocari. At hercules in tanto mari Oceano quæcumque nascuntur, certa sunt, notioraque, quod miremur, quæ profundo natura mersit. Ut a belluis ordiamur, arbores, physeteres, balænæ, pristis, Tritones, Nereides, elephanti, homines qui marini vocantur, rotæ, orcæ, arietes, musculi, & alii piscium formâ arietes, delphini, celebresque Homero vituli. Luxuriæ

verò testudines, & medicis fibri, quorum e genere lustras nusquam mari accepimus mergi, tantum marina dicentes. Jam caniculæ, dromones, cornutæ, gladii, ferræ: communesque terræ, mari, amni, hippopotami, crocodili: & amni tantum ac mari, thynnides, siluri, coracini, percæ. Peculiares autem maris, acipenser, aurata, asellus, acharne, aphyæ, alopecias, anguilla, araneus. Box, batis, bacchus, batrachus, belone, quos aculeatos vocamus, balanus. Corvus, citharus e rhomborum genere pessimus: chalcis, cobio, callarias asellorum generis, ni minor esset: colias sive Parianus, sive Sexitanus a patriâ Bæticâ, lacertorum minimi: ab iis Mæotici: cybium, ita vocatur concisa pelamis, quæ post XL. dies a Ponto in Mæotin revertitur: cordyla, & hæc pelamis pusilla, cum in Pontum e Mæotide exit, hoc nomen habet: cantharus, callionymus, sive uranoscopus, cinædi foli piscium lutei: cnide, quam nos urticam vocamus: cancrorum genera, chamæ striatæ, chamæ læves: chamæ pelorides, generis varietate distantes & rotunditate: chamæ glycymerides, quæ sunt majores quam pelorides: coluthia sive corythia: concharum genera, inter quæ & margaritiferræ: cochleæ, quarum generis pentadactyli, melicembales, actinophoræ dicuntur quibus cantant:

extra hæc sunt rotundæ in oleario usu cochleæ: cucumis, cynopus, caminarus, cynosdextra. Draco: quidam aliud volunt esse dracunculum: est autem gerriculæ similis: aculeos in branchiis / habet ad caudam spectantes, sic ut scorpio lædit, dum manu tollitur. Erythinus, echeneis, echinus, elephantium locustarum generis nigri, pedibus quaternis, bifulcis: præterea brachia duobus articulis, singulisque forcibus denticulatis. Faber sive zeus. Glaucisci, glanis, gonger, gerres, galeos, garus. Hippus, hippuros, hirundo, halipleumon, hippocampus, hepar, helacatenes. Sunt lacertorum genera: loligo volitans, locustæ, lucernæ, lepris, lamyrus, lepus, leones, quorum brachia cancris similia sunt, reliqua pars locustæ. Mullus, merula inter faxatiles laudata, mugil, melanurus, mæna, meryx, muræna, mys, mitulus, myiscus, murex. Oculata, ophidion, ostrea, otia: orcynus: hic est pelamidum generis maximus, neque redit in Mæotin, similis tritoni, vetustate melior: orbis, orthragoriscus. Phager, phycis faxatilius: pelamis: earum generis maxima apolectus vocatur, durior tritone: porcus, pitiaurus, passer, pastinaca: polyporum genera: pectines maximi & nigerrimi æstate, laudatissimi Mitylenis, Tyndaride, Salomnis, Altini, Antii, in insulâ Alexandriæ

in Ægypto: pedunculi, purpuræ, pegrides, pinna, pinnoteræ. Rhina, quem squatum vocamus: rhombus. Scarus principalis hodie: solea, fargus, scilla, farda: ita vocatur pelamis longa, ex Oceano veniens: scomber, salpa, sparus, scorpæna, scorpio, sciadeus, sciæna, scolopendra, smyrus, sepia, strombus, solen, sive aulos, sive donax, sive onyx, sive dactylus: spondylus, smarides, stella, sponsia. Turdus inter saxatiles nobilis: thynnus, thranis, quem alii xiphiam vocant: thassa, torpedo, tethea: triton pelamidum generis magni: ex eo uræa cybia fiunt. Veneriæ, uva. Xiphias.

LIV. His adjiciemus ab Ovidio posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur; sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit: bovem, cercyrum in scopulis viventem, orphum, rubentemque erythinum, sparulum, pictas mormyras, aureique coloris chrysophryn, permeca, tragum, & placentem caudâ labrum, epodas lati generis. Præter hæc insignia piscium tradit channem ex seipsâ concipere, glaucum æstate numquam apparere, pompilum qui semper comitetur navigiorum cursus, chromin qui nidificet in aquis. Elopem quoque dicit esse nostris incognitum undis: ex quo apparet falli eos, qui

eundem acipenserem existimaverunt. Elopipi palmam saporis inter pisces multi dederunt.

LV. Sunt præterea a nullo auctore nominati, sudis Latinè appellatus, Græcis sphyræna, rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed non degener. Appellantur & pernae concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimæ. Stant velut suillo crure longo in arenâ defixæ, hiantesque, quâ limpitudo est, pedali non minùs spatio, cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos. Intus pro spondylo grandis caro est. Et hyænam piscem vidi in Ænariâ insulâ captum. Exeunt præter hæc purgamenta aliqua relatu indigna, & algis potiùs adnumeranda, quàm animalibus.



N O T Æ

I N L I B R U M X X V I .

CAP. I. **M**ENTAGRAM. Ad lichenas rodentesque herpetas, *les dartres vives*, referenda est hæc mentagræ lues.

2. *H-S. c c.* Sestertia ducenta sunt Gallicæ nostræ monetæ libræ 38,906. Perperam in editione principe, *solidis c c.* Bene Mss. Reg. *H-s. c c.* Minimè probabiliter edidit eruditus Harduinus *H-s. c c.*: quod efficit ducenties centena milia sestertiûm, Gallicæ monetæ libras 3,891,005.

3. *Gregatim sentirentur.* A grege humilique plebe sentirentur.

4. *Q. Marcio censoribus.* Anno Urbis conditæ DXC.

5. *Carbunculum.* Carbunculus, *le charbon.* Sævit & in provinciâ nostrâ Nivernensi: sed facillimè sanatur. Paratissimum enim ibi remedium. Ubi sentitur, novaculæ ictibus transversè datis inciditur malum, & statim exinanitur.

6. *Pollici lævæ manûs evulso.* Optimè Mss. Reg. & editio princeps. Pessimè in recentioribus editionibus, *pollice.* Pollex non potest evelli acu, tam parvo vulnere, ut vix cerni possit. At carbunculus pollici, aut e pollice, acu potuit evelli, tam parvo vulnere.

7. *Vari modo.* Varus est tumor parvus & durus, ex rubedine in summitate tandem albescens. Tales vari in facie & collo, magnitudine feminis cannabis, ut plurimum oriuntur.

S. *Diximus*

sect. 52. Ad lepram aliquatenus pertinet hæc elephantiasis.

9. *Ægypti peculiare hoc malum.* Viget adhuc illa elephantiasis in Ægypto, & in urbe Cairo vulgaris; quam accuratè descripsit oculatus testis, Prosper Alpinus, Hist. nat. Ægypti, I, 19. & de Medicinâ Ægyptior. I, 16.

10. *Solia temperabantur.* Solium, vas erat, in quo sedentes lavabantur in balineis.

11. *Quem gemursam.* Festo teste: *Gemursa*, sub minimo digito pedis tuberculum, quòd gemere faciat eum qui id gerat.

CAP. II. 1. *Subtilioris doctrinæ conditori.* In musicos pedes Herophilus venarum pulsus descripserat per ætatum gradus; ut dicitur infrà Libr. XXIX. sect. 5.

2. *Defendente.* Bene eruditus Harduinus e Ms. Reg. 1. Infeliciter Cl. Rezzonicus, peculiariter utique medicinâ ad verba garrulitatemque descendente. Quid enim tunc regeret, celebratam rationem eam?

3. *Auditioni operatos.* Sic Ms. Reg. 1. & eleganter. In Ms. Reg. 2. *operatus.* Malè Ms. Reg. 5. & Cl. Rezzonicus, *occupatum.*

CAP. III. 1. *Conjecturæ fecit.* Ita Mss. Reg. 2. 5. In editione principe, *conjecturas.*

2. *Communium auxiliorum.* Titulus fuit librî ab Asclepiade scripti. Memoratur a Celso II, 14. *Asclepiades . . . in eo volumine, quod Communium Auxiliorum scripsit.*

3. *Aliàs vini.* Aliquando etiam vini.

4. *Cognominari se frigidâ dandâ.* Cognominatus videtur Δοσιψυχρος. Revaluit ille Asclepiadis usus; & in multis morbis vulneribusque

datur frigida. Hac de re egregiam dissertationem scripsit anno 1729. Cl. Nicolaus Cyrilus, medicus Neapolitanus, quam vide in *Transact. Philosophical*. Hujus quoque doctrinæ nuper insignis promotor fuit Cl. Hahn, quem secutus est Cl. Theden, *Progrès ultérieurs de la Chirurgie*, pag. 179.

5. *Relato homine*. Homo ille lethargo tantum laborabat, ut patet ex Apuleio, *Floridorum*, Cap. 19. Hac de re jam dictum supra Libr. VII. sect. 37.

6. *E levissimâ gente*. Ex Asiaticâ gente. Prusienis erat Asclepiades.

7. *In urbe nimbosâ*. Roma totaque Italia per æstatem nimbosa. Vide supra Libr. II. sect. 51.

8. *Pensili balnearum usu*. De pensilibus balineis, earumque inventore, dictum supra Libr. VII. sect. 79.

9. *Quod est magnâ ex parte vetitum*. Bene Ms. Reg. 1. Nempe quod magna medicorum pars vetat. Malè vulgò Mss. & editio princeps, *quod est magnâ ex parte verum*.

CAP. IV. 1. *Lucullus tot reges magorum*. Lucullus anno U. C. DCLXXXV. Mithridatem, Tigranem, multosque regulos in iis regionibus, ubi vigeabant magicæ vanitates, devicit.

2. *Cur Cæsaris miles*. Bene Mss. & editio princeps. Frustra in recentioribus editionibus additum, *cur Hercule Cæsaris miles*.

3. *Promptinæ paludes*. De quibus jam dictum supra Libr. III. sect. 9.

4. *Suo loco probatur*. Infra Libr. XXIX. sect. 5.

5. *Radix albuci*. Asphodeli. Vide supra Libr. XXI. sect. 68.

6. *Cam glutino*. Facto e lupini farinâ. Vide
suprà Libr. XXII. sect. 74.

7. *Rumicis radix*. Rumex est lapathum folio
acuto, plano, C. B. *la Patience à feuilles
pointues*.

8. *Flos visci*. Est visci pars levior, quæ in-
ter coquendum supernatat.

9. *Inde nomine invento*. A sanandis licheni-
bus, seu impetiginibus, herba dicta est lichen.

10. *Nascitur in saxosis, folio uno*. Videtur
esse lichen petræus, pileolum cauliculo sustinen-
te, C. B.

11. *Aliud lichenis genus*. Est lichen petræus,
latifolius, sive hepatica fontana, C. B. *l'Hé-
patique commune*.

12. *Thapsiæ radice* De Thapsiâ dictum suprâ
Libr. XIII. sect. 43.

13. *Proserpinaca*. De proserpinaca, quæ dra-
contium est, *la Serpentaire*, dicetur infrâ Libr.
XXVII. sect. 104.

CAP. V. 1. *Radix persolata*. De persolatâ
dictum Libr. XXV. sect. 66.

2. *Sideritis latifolia... adalligatur*. Ms. Reg.
2. editio princeps. De sideriti latifoliâ vide su-
prâ Libr. XXV. sect. 19. de damafonio Libr.
XXV. sect. 77.

3. *Bellis in pratis*. Bellis, *la Pâquerete*.

4. *Condurdum*. Condurdum aliis est valeria-
na rubra, C. B. Aliis lychnis segetum rubra,
foliis persoliatæ, C. B.

5. *Scythica herba*. Est glycyrrhiza, *la Ré-
glisse*, ut jam dixi.

CAP. VI. 1. *Bechion, quæ & tussilago*. Tus-
silago, *le Tussilage, le Pas d'âne*.

2. *Sine caule, sine flore.* Tussilago habet & caulem, & florem luteum, & semen. Sed flos nascitur ante folia. Inde error.

3. *Chamæleucen.* Chamæleuce est ipsa tussilago. Vide supra Libr. XXIV. sect. 85.

4. *Salvia appellatur.* Hæc non est salvia, *la Sauge*: sed, ut videtur, *horminum vulgare, l'Ormin.*

CAP. VII. I. *Molon.* Est allium angustifolium, umbellatum, flore albo, Tournefort.

2. *Scapo est striato... radice IV. digitorum.* Cl. Guettard ex Dioscoride III, 54. emendat *scapo est striato... caule IV. digitorum.*

3. *Cissanthemos.* De cyclamino cissanthemo dictum supra Libr. XXV. sect. 68.

4. *Teucra.* Est teucrium, de quo vide Libr. XXV. sect. 20.

5. *Capnon herbam.* De quâ supra Libr. XXV. sect. 99.

6. *Ephedera.* Est polygonum bacciferum, maritimum majus, sive uva maritima, major, C. B.

7. *Geum.* Est caryophyllata vulgaris, C. B. *la Benoîte.*

8. *Herbæ consiliginis.* Vide supra Libr. XXV. sect. 48.

9. *Suo loco diximus.* Supra Libr. XXI. sect. 21.

10. *Gromphæna.* Herba nobis non nota; ut & malandrum.

11. *Chalcetum.* Multis videtur esse valeriana campestris, inodora, major, C. B. *la Mâche.*

12. *Molemonium.* Sic quidem libri omnes. Fortè tamen est lemonium, de quo dictum Libr. XXV. sect. 61.

13. *Et silybo.* Est carduus albis maculis notatus, vulgaris, C. B. *le Chardon-Marie.*
14. *Halus.* Est symphytum petræum, foliis thymi, C. B.
15. *Quam Galli.* Galli circumpadani.
16. *Chamærops.* Est chamædrys, sive trixago, de quâ dictum Libr. XXIV. sect. 80.
- CAP. VIII. 1. *Imponitur, ut dictum est.* Suprà Libr. XXV. sect. 40.
2. *Astralagus.* Est astralagus Bæticus, lanuginosus, radice amplissimâ, C. B.
3. *Ledon appellatur herba.* Est cistus ladanifera, de quâ dictum Libr. XII. sect. 37.
4. *Nascitur, ut diximus.* Suprà Libr. XXIV. sect. 48.
5. *Laver.* Est sion, de quo dictum suprà Libr. XXII. sect. 41.
6. *Potamogeton.* Est potamogeton rotundifolium, C. B.
7. *Castor hanc aliter noverat.* Hæc est potamogeton flosculis ad foliorum nodos. Tournefort. *le Volant d'eau.*
8. *Statice.* Apud nos servat nomen. Est caryophyllus montanus, major, flore globoso, C. B.
9. *Ceratia.* Est dentaria triphyllos, C. B. *la Dentaire.*
10. *Leontopodion.* Est leontopetalon de quo plura vide infrâ Libr. XXVII. sect. 72.
11. *Lagopus.* Est trifolium arvense, humile, spicatum, sive lagopus, C. B. *le Pied de lievre.*
12. *Epithymon.* Est epithimum, sive cuscuta minor, C. B. *l'Epithim.*
13. *Pycnocomon.* Quæ sit hæc herba non sa-

ris compertum. Juxta Fabium Columnam est succisa glabra, sive morsus diaboli: quæ est scabiosa folio integro, hirsuto. Tournefort. *le Remors, le Mors du diable.*

14. *Polypodion.* Polypodium, *le Polypode.* Nunc ejus florem & semen novimus.

15. *Scammonium.* Est convolvulus Syriacus & scammonia Syriaca. Tournefort. *la Scammonée.*

16. *Ut in ipsam confluat.* Bene Mss. Reg. 1. & 2. & editio princeps.

17. *Primus cognominatur characias.* Est tithymalus characias, rubens, peregrinus, C. B. *le Tithymale des ruisseaux.*

18. *Myrsiniten.* Est tithymalus myrsinites, latifolius, C. B. *le Tithymale des prés.*

19. *Caryiten.* Est tithymalus myrtifolius, arboreus, C. B. *le Tithymale à feuilles de myrte.*

20. *Paralium.* Est tithymalus maritimus, C. B. *le Tithymale maritime.*

21. *Helioscopion.* Est tithymalus helioscopius, C. B. *le Reveille-matin.*

22. *Cyparissian.* Est tithymalus cyparissias, C. B. *le Tithymale des champs, la petite Esule.*

23. *Platyphyllon.* Est tithymalus silvaticus, lunato flore, C. B. *le Tithymale des bois.*

24. *Dendroiden.* Mss. Reg. 2. & editio princeps. Est tithymalus minimus, angustifolius, annuus, J. B. *le petit Tithymale annuel.* Frequens est autumnò juxta vias, & in incultis locis.

25. *Apios ischas.* Est tithymalus tuberosâ pyriformi radice, C. B.

26. *Aliquando & herbosis.* Mss. Reg. 2. & editio princeps.

27. *Duabus lingulis.* Ms. Reg. 2. & ed. pr.
28. *Teucra.* Hemionitis teucra, seu teuc-
rion, de quo dictum supra Libr. XXV. sect. 20.
29. *Ut contra serpentes.* Vide supra Libr.
XXV. sect. 55.
30. *Cruciatibus, ut diximus.* Libr. XXV. sect. 7.
31. *Vettonica, ut.* Ms. Reg. 2. & editio
princeps. Vide autem supra sect. 19.
32. *Eadem vis crethmo.* De crethmo jam di-
ctum Libr. XXV. sect. 96.
33. *Et alceæ sicca.* Sine auctoritate in re-
centioribus editionibus, *althæa.* Ex Mss. Reg.
1. & 2. emendandum, *alceæ.* Est damafonium.
Vide supra sect. 12. & 28.
34. *Anthyllion.* Est vulneraria rustica, J. B.
la Vulnéraire.
35. *Altera est anthyllis.* Est chamæpitys mos-
chata, foliis ferratis, C. B. *l'Ivette musquée.*
36. *Vel magis medetur cepæa.* Bene Ms. Reg.
1. & editio princeps. Malè in recentioribus
omissum, *medetur.* Cepæa autem est sedum ce-
pæa dictum, H. L. B.
37. *Hypericon.* Est hypericum vulgare, C. B.
le Millepertuis.
38. *Aliud hypericon.* Est hypericum saxatile,
tenuissimo & glauco folio. Tournefort.
39. *Perpressa.* Juxta Anguillaram Romanis di-
citur *Repressa,* & æstuantibus equis datur.
40. *Anthemum.* Juxta anguillaram est saxifra-
ga, *la Saxifrage.*
41. *Silaus.* Est angelica pratensis, apii folio.
Tournefort. *l'Angélique sauvage.*
42. *Ut olus acidum.* Quod videtur esse olu-
satum, de quo dictum supra Libr. XIX. sect.
48.

43. *Malum erraticum*. Videtur esse aristolochia, de quâ dictum suprâ Libr. XXV. sect. 54.

44. *Herba Fulviana*. Est prorsus ignota.

45. *Nervus, qui platys*. Nervus ille platys, sive latus, *le Nerf sciatique*.

CAP. IX. 1. *Argemonem vocant*. Videtur esse lappa canaria, quam argemonem dictam vidimus suprâ Libr. XXIV. sect. 116.

2. *Manu supina*. Manus est supina, cum vola cælo obvertitur: retrorsa, cum vola in terram versa.

3. *Chrysippæa*. Ignota herba. Sic scientiæ nocent data plantis hominum nomina.

CAP. X. 1. *Adimit, ut diximus*. Suprâ Libr. XV. sect. 37.

2. *Orchis herba*. Nomen retinet, *l'Orchis*.

3. *Radice geminâ*. Satyrion unicam habet radicem, & in eo differt ab orchide.

4. *Distinguitur internodiis*. Hæc, ut observavit J. Bodæus, pertinent ad crateogonon.

5. *Cratægin . . . thelygonon, & arrhenogonon*. Multa hîc confunduntur a Plinio, ut monuit eruditus Langius. Unum arrhenogonon testibus simile fermen habet: non verò thelygonon, & minùs etiam crateogonon.

6. *Tradidit Theophrastus*. Hist. Plant. IX, 20.

7. *Iberis, uti dictum est*. Suprâ Libr. XXV. sect. 49.

8. *Mollugo*. Est gallium montanum, latifolium, ramosum. Tournefort. *le Caillelait des bois*.

9. *Asperugo*. Est rubia silvestris, aspera, C. B. *la Garance sauvage*.

10. *Fucus marinus . . . conchyliis substernitur*.

Colore fuci marini, *le Varec*, lana primùm im-
buitur, ut vestis conchyliatæ tinctura præpa-
retur.

11. *Latum*. Est fucus lactucæ folio. Tour-
nefort.

12. *Alterum longius*. Est fucus longo, angu-
sto, crassoque folio, C. B.

13. *Tertium crispis foliis*. Est fucus follicula-
ceus feniculi folio longiore. C. B.

14. *Psyllion appellavimus*. Suprà Libr. XXV.
sect. 90.

CAP. XI. 1. *Lappæ boariæ*. Lappa boaria cre-
ditur esse caucalis Monspeliaca echinato magno
fructu, C. B.

2. *Dodecatheum, de quâ diximus*. Suprà Libr.
XXV. sect. 9.

3. *Geranion . . . myrtidan*. Bene Mf. Reg. 2.
Est geranium cicutæ folio, moschatum, C. B. *le*
Bec de grue à feuilles de ciguë.

4. *Foliis candidioribus . . . malvæ*. Est gera-
nium folio malvæ rotundo, C. B. *le Pied de*
Pigeon.

5. *Alterum genus foliis anemones*. Est gera-
nium tuberosum, majus, C. B.

6. *Phagedænis . . . sine modo esurientium*. Pha-
gedænæ illæ, *la Boulimie, la Faim canine*.

7. *Aliàs ulcerum*. De his phagedænis vidē su-
prà Libr. XX. sect. 13.

8. *Onothera*. Ita Mf. Reg. 1. & 2. & editio
princeps. Est lysimachia chamænerion dicta, la-
tifolia, C. B. *le petit Laurier-rose, l'Herbe de*
S. Antoine.

9. *Iberis, ut dictum est*. Suprà Libr. XXV.
sect. 49.

10. *Archeostis*. Est vitis alba, de quâ dictum supra Libr. XXIII. sect. 16.

11. *Hyssopi bacca*. Vide quæ de hyssopo dixi supra Libr. XXV. sect. 87.

12. *Atunt febrî liberari*. Mss. Reg. 1. & 2. Sic & supra *liberandum febrî* in Mss. Reg. & editione principe.

13. *Perfrictionibus resistit*. Perfrictiones illæ, Græcis dictæ $\rho\iota\gamma\eta$, sunt rigor frigusque, quod initium est febris.

14. *In conspectu restincto*. Ms. Reg. 1. & 2. & editio princeps.

15. *Hyperici, quod coris*. De hoc hyperico jam dictum supra sect. 54.

16. *Acte*. Acte est sambucus, *le Sureau*.

17. *Chamæactes succus*. Chamæacte est sambucus humilis sive ebulus, C. B. *l'Hiéble*.

18. *Igni sacro*. Ignis sacer est erysipelas, *l'Erésipèle, le Feu sacré, le Feu Saint-Antoine*.

19. *Secatur in asses*. In asses, id est in orbiculos. In Mss. Reg. 1. & 2. & editione principe, *siccatur*.

20. *Qui zoster appellatur*. Ignis ille sacer, qui zoster, vel zona appellatur, non semper lethalis est, nisi phthisis fuerit prænuntius.

CAP. XII. 1. *Ut diximus, poto*. Supra Libr. XXV. sect. 30.

2. *Potus cum sale & melle*. Paulo aliter, & meliùs Dioscorides, IV, 42. *Celeriter quoque regio morbo medetur* (quinquefolii, *la Quinte feuille*) *foliorum succus tribus cyathis aliquot diebus potus. Eadem cum sale & melle imposita tam vulneribus, quàm fistulis medentur.*

3. *Si nondum caput fecerint*. Si in caput, acu

minatumve verticem, *la Pointe des clous, des Furuncles*, nondum intumuerint.

4. *Quod corion apellavimus*. Suprà sect. 54.

5. *Ischæmon*. De quâ vide suprà Libr. XXV. sect. 45.

6. *Equisetum hippuris*. *Equisetum, hippurise, la Prêle, la Queue de cheval*.

7. *Unctis esculentis*. *Esculentis oleo adipeve conditis*.

8. *Nasci in arbuftis*. *Apuleius Cap. 39. in silvis & arundinetis*. Est *equisetum silvaticum, tenuissimis fetis, C. B.*

9. *Sideritis*. De quâ dictum suprà Libr. XXV. sect. 15.

10. *Fungus verò*. En styptica vis fungorum.

11. *Stephanomelis*. Juxta plurimos est *pentaphylloides argenteum, alatum, seu potentilla*. *Tournefort. l'Argentine*.

12. *Ad erraticum*. *Ad erraticum sanguinem, qui in erysipelatis huc illuc discurret*. Vidimus suprà sect. 74. *igni sacro mederi radicem persolatae*.

13. *Et eversis*. *Ex alto præcipitatis*.

14. *Erysitales*. Est *carduus pratensis foliis tenuibus, laciniatis, C. B.*

15. *Uvæ taminiae*. De eâ dictum suprà Libr. XXII. sect. 16.

CAP. XIV. 1. *Chironiam diximus*. Suprà Libr. XXV. sect. 13.

2. *Heraclion quoque*. De quo suprà XXV. sect. 35.

3. *Apollinaris*. Sive *hyoscyamus, la Jusquiame*.

4. *Contra steatomata*. *Στεάτωμα* est, juxta *Pollucem, effusio adipis sub cute*.

5. *Cum cerato*. *Mss. Reg.*

6. *Polycnemon*. Est mentha arvensis, verticillata, hirsuta, J. B. *le Calament des champs*.

7. *Melantias veteres*. Melaniæ sunt maculæ nigræ. In Mss. Reg. & editione principe, *mandriasis veteres*.

8. *Verrucarum omnium*. Ita Ms. Reg. 2. & editio princeps.

CAP. XIV. 1. *Nymphææ Thessalæ*. De nymphæâ Thessaliæ dictum supra Libr. XXV. sect. 37.

2. *Ardens aliàs, ut diximus*. Suprà Libr. XXV. sect. 109.

3. *Polygonus pota menses ciet*. Adstringentis naturæ est polygonus, ut Dioscorides omnesque norunt. Errore ergo librariorum in Plinio *ciet* scriptum pro *sistit*. De polygono vide infra Libr. XXVII. sect. 91.

4. *Et alceæ radix*. Malè recentiores editiones, *altheæ*. De alceâ jam dictum supra sect. 12. & inter herbas quæ alvo medentur, recensetur sect. 28.

5. *Arsenogonon*. Est androsace Alpina, perennis, angustifolia, villosa & multiflora. Tournefort. *Sedum Alpinum*, hirsutum, luteo flore, C. B.

6. *Thelygonon*. Est geum folio subrotundo, minori, pistillo floris rubeo. Tournefort. *Cotyledon media foliis subrotundis*, C. B.

7. *Aizoum, quod digitellum*. De eo supra Libr. XXV. sect. 102.

8. *Mastos vocatur*. Quæ sit illa herba incompertum. Nomen habet a *μαστός*, mamma.

9. *Testas in facie, aliaque*. Mss. Reg. 1. & 2. Testæ sunt maculæ, quæ testam colore referunt.

10. *Ophrys herba*. Est ophris bifolia, C. B. *la Double-feuille*.

IN LIBRUM XXVII.

CAP. I. 1. *Brittanicam*. De hac herbâ vide supra Libr. XXV. sect. 6.

CAP. II. 1. *In digitum*. Quo venenum uxoribus suis illiniverat. De M. Cæcilio Rufo oratore vide supra Libr. VII. sect. 50. De vi autem aconiti dictum Libr. XXV. sect. 75.

2. *Ad inferos aditus*. Est specus Acherusia, de quâ vide Plinium supra Libr. VI. sect. 1.

3. *Duobus malis*. Elleboro & scorpioni. Est Elleborum aconiti peculiare malum : scorpio, commune omnium.

4. *Pardalianches*. Quod pantheras necet, ἀπὸ τῆς παρδάλλεις ἄγχειν.

5. *Demonstratum*. Supra Libr. VIII. sect. 41.

CAP. III. 1. *Aconitum . . . folia habet cyclamini*. Aconitum pardalianches est ranunculus cyclaminis folio, asphodeli radice. Tournefort. Aconitum pardalianches 1. seu thora major, C. B.

2. *Cammaro similem*. Cancro marino similem.

CAP. IV. 1. *Æthiopsis*. De eâ dictum supra Libr. XXIV. sect. 102.

2. *Ageraton*. Est ptarmica lutea suaveolens. Tournefort. Ageratum foliis ferratis, C. B. *l'Eupatoire de Mésué*.

3. *Aloe*. Est aloes vulgaris, C. B. *l'Aloès*.

4. *Metallicam ejus naturam*. Fossilis est aloes, quam memorat quoque Sextius Niger apud Dioscoridem in Præfat. pag. 2.

5. *Alcea*. Est alcea vulgaris major, flore ex rubro roseo, C. B. *la Mauve sauvage vulgaire*.

6. *Alypon*. Est globularia fruticosa, myrti folio tridentato. Tournefort, *la Globulaire*.

7. *Alsine*. Est alsine media, C. B. *Alsine vulgaris*, sive *morsus gallinæ*, J. B. *la Morgeline*.

8. *Quæ justius myosotis*. De quâ infra sect. 80.

9. *Androsaces herba*. Est androsace vulgaris, latifolia, annua. Tournefort. Nascitur frequens in Dalmatiâ, in valle *Slofella*, teste Cl. Fortis.

10. *Androsæmon*. Est *Androsæmum* maximum, frutescens, C. B. *la Toute-saine*. *Androsæmum*, ut & *hypericum* & *ascyrum*, folia habet velut multis punctis perforata. Autumno quoque pulchrè rubent *androsæmi* folia. De *hyperico* dictum suprâ Libr. XXVI. sect. 53.

11. *Ambrosia*. Est *abrotanum* campestre, C. B.

12. *Anonin*. *Anonis*, *l'Arrête-bœuf*; de quâ dictum suprâ Libr. XXI. sect. 58.

13. *Anagyros*. Est *anagryris foetida*, C. B. *le Bois puant*.

14. *Anonymos*. Videtur esse *consolida media*, quibusdam *bugula*, J. B. *la Bugle*.

CAP. V. 1. *Aparinen*. Est *aparine vulgaris*, C. B. *le Gratteron*.

2. *Arction*, *aliqui arcturum*. Videtur esse *lappa major*, montana, capitulis tomentosus, C. B. *la Bardane*.

3. *Asplenon*. Mss. Reg. & editio princeps. Est *asplenium*, sive *ceterach*, J. B. *le Cétérac*.

4. *Foliis trientalibus*. *Foliis*, quæ tertiam pedis Romani partem habent.

5. *Per dies xxx*. Ita Mss. Reg. & editio princeps. In recentioribus ex *Dioscoride III*, 151. emendatum, *dies xl*.

6. *Asclepias*. Est *Asclepias albo flore*, C. B. *le Damppe-venin*.

7. *Aster*. Est asteriscus annuus, foliis ad florem rigidis. Tournefort. *Aster luteus*, foliolis ad florem rigidis, C. B.

8. *Ascyron*. Hoc videtur esse ascyrum exiguo folio, flore magno. Tournefort. *Hypericum Olympi montis*. Wheler.

9. *Ascyroides*. Hoc debet esse ascyrum magno flore, C. B. *Androsæmum* flore & thecâ quinqucapsulari, omnium maximis. Morison.

10. *Aphaca*. Est vicia vulgaris, acutiore folio, semine parvo nigro, C. B. *la Vesce*. Alia est aphace, de quâ dictum supra Libr. XXI. sect. 52.

11. *Alcibion*. Ex Dioscoride videtur esse buglossum silvestre, majus, nigrum, C. B.

12. *Alectorolophos*. Est pedicularis pratensis, lutea, vel crista galli, C. B. *la Pédiculaire*, *la Crête de coq*.

CAP. VI. 1. *Alum nos vocamus*. De hac herbâ dictum supra Libr. XXVI. sect. 26. Nos autem, inquit, Itali & circumpadani Galli, ubi Verona est, Plinii patria. Quod rectè adnotaverat eruditus Harduinus in priore suâ editione.

2. *Ossibus quoque fractis*. Aliter distinguunt Ms. Reg. 2. & editio princeps; ac fortè meliùs. *Ossibus quoque fractis medetur alga rufa, & scorpionum ictibus*.

CAP. VII. 1. *Alga rufa*. De eâ dictum supra Libr. XXVI. sect. 66.

2. *Açtaa*. Est Christophoriana vulgaris, nostras, racemosa & ramosa. Morison. *Aconitum racemosum*, C. B. *l'Herbe de S. Christophe*.

3. *Ampelos agria . . . diximus*. Suprà Libr. XXIII. sect. 14.

4. *Appellavimus in violis.* Suprà Libr. XXI. sect. 38.

5. *Radix ejus.* Hæc totidem verbis Plinius suprà Libr. XXIII. sect. 14. Nunc enim medicamenta, servato literarum ordine, iterum memoravit, ut faciliùs occurrerent.

6. *Absinthii.* Est absinthium Ponticum, seu Romanum officinarum, C. B. *l'Absinthe ordinaire.*

7. *Santonicum.* Est absinthium Santonicum, Gallicum, C. B.

8. *Sine felle reperiuntur.* Vide suprà Libr. XI. sect. 75.

9. *Latinarum feriis.* Latinarum supplicationum; quæ mense Aprili vulgò peragebantur in honorem Jovis Latiarii, de quo infra Libr. XXXIV. sect. 18. Peractæ & aliquando III. Nonas Maii, & Juniis Kalendis.

10. *Absinthium marinum.* Est absinthium Seriphium, Gallicum, C. B.

11. *In Taposirin Ægypti.* Alexandriae versus Occidentem vicina fuit Taposiris, nunc *Abousir.* De hoc absinthio vide adhuc infra Libr. XXXII. sect. 31.

CAP. VIII. 1. *Balloten.* Est marrubium nigrum, foetidum, ballote Dioscoridis, C. B. *le Marrube noir.*

2. *Porrurn nigrum.* Malè Plinius *πράσον*, porrum, accepit pro *πράσιον*, marrubium.

3. *Quàm porri.* Eodem errore Plinius *quàm porri*, pro *quàm marrubii*, scripsit.

4. *Botrys.* Est chenopodium ambrosioides, folio sinuato. Tournefort. *le Botrys.*

5. *Brabyla.* Brabyla Græcis dicuntur Damas

cena. Videtur esse prunus silvestris, C. B. Nec inter herbas fuit adnumeranda. Illi pruno vis est spissandi, id est, adstringendi.

6. *Bryon marinum*. Est fucus lactucæ folio. Tournefort.

7. *Ab unâ radice*. Bene Mf. Reg. 1. & 2. Nec aliter Theophrastus, Hist. Plant. I V, 7. ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς. Malè editio princeps aliæque, *ab imâ radice*.

8. *Bupleuri*. De bupleuro vide suprâ Libr. XXII. sect. 35.

9. *Catanancen*. Quæ sit illa catanance minimè certum. Nobis catanance dicitur chondrylla cærulea, cyani capitulo, C. B. *la condrilla bleue à tête de bluet*.

10. *Cemos*. Ex Dioscoride in Nothis, pag. 471. *ceмос* est leontopodium. Leontopodium autem nobis est gnaphalium Alpinum magno flore & folio, C. B.

11. *Calsa*. . . *una similis aro*. Est arum venis albis, C. B.

12. *Quos arum*. In Mf. Reg. & editione principe, *quos arsa*. Unde fortè emendandum, *quos arisarum*; de quo dictum suprâ Libr. XXIV, sect. 94.

13. *Anchusam vocant*. De anchusâ dictum suprâ Libr. XXII. sect. 23.

14. *Plumosa*. Id est, hirsuta.

15. *Circæa*. Est circæa Lutetiana. Tournefort. Solanifolia circæa dicta major, C. B. *l'Herbe de Magiciennes*.

16. *Cirsion*. Est cirsium majus, singulari capitulo magno, vel incanum variè dissectum, C. B.

17. *Bovis linguæ*. Bugloſſo, *la Bugloſe*.

18. *Minora*. Immo, ut habet Dioſcorides, *Hift. Plant. IV, 119. majora*.

19. *Dolores varicum ſanare*. Ita & Dioſcorid. loc. cit. ex Andrea; & inde herbæ nomen, a κίρσος, *varix*.

20. *Cratæogonon*. Ex Pliniana deſcriptione *cratæogonos* eſt *persicaria urens* ſive *hydropiper*, C. B. *la Persicaire, le Curage*. Quibuſdam tamen creditur eſſe *melampyrum purpurafcente comâ*, C. B. *le Blé de vache à fleurs purpurines*.

21. *Alia cratæogonos, quæ thelygonos*. Eſt *persicaria mitis*, C. B.

22. *Cratægon, ſive cratægona*. Eſt *cratægus*, *l'Alizier*, de quâ jam dictum ſuprà *Libr. XV. ſect. 33*.

23. *Crocodilion*. Eſt *carlina cauleſcens* magno flore albicante, C. B.

24. *Cynoforchin*. Eſt *orchis*, de quâ dictum ſuprà *Libr. XXVI. ſect. 62*.

25. *Chryſolachanum*. Juxta Ruellium eſt ſoncho affinis *lampſana domeſtica*, C. B. *Pinetum* autem, locus eſt *pinis conſitus*.

26. *Cuculi folia*. *Cuculus* eſt *alsine altiffima nemorum*, C. B. *la grande Morgeline*.

27. *Conferva*. Eſt *alga viridis, capillaceo folio*, C. B. *la Mouſſe d'eau*.

28. *Aquam ſuam aſpergentibus*. *Mſſ. Reg. & editio princeps*.

CAP. IX. I. *Cocco Cnidio*. De *cocco Cnidio*, vel *Gnidio*, dictum ſuprà *Libr. XIII. ſect. 35*.

2. *Dipſacos*. De *dipſaco*, ſive *labro Venero*, *le Chardon à foulon*, dictum ſuprà *Libr. XXVI. ſect. 108*.

3. *Ros falsus*. Sallum esse illum rorem negant Bodæus & Dalecampius.

4. *Dryopteris*. Est filix ramosa, minor, pinnulis dentatis. Tournefort. Filix querna, C. B. *la Fougere de chêne*.

5. *Dryophonon*. Est lepidium humile, incanum, arvense. Tournefort.

6. *Elatine*. Est linaria segetum, nummulariæ folio villoso. Tournefort. *la Linaire à feuilles de nummulaire, la Velvotte*.

7. *Folia habet helxinæ*. Ita Dioscorides IV, 40. In Mss. Reg. 1. & 2. *folia habet casia*.

8. *Empetros*. Est chrithmum sive fœniculum maritimum, majus, odore apii, C. B. *la Bacille, la Percepierre*.

9. *Epipactis*. De epipacti, sive elleborine, dictum supra Libr. XIII. sect. 35.

10. *Epimedion*. Nomen retinet; & nobis dicitur *l'Epimedium*.

11. *Enneaphyllon*. Est helleborus niger, fœtidus, C. B. *le Pied de griffon*.

12. *Filicis duo genera*. Mas, est filix non ramosa, dentata, C. B. *la Fougere mâle*. Femina, est filix ramosa, major, pinnulis obtusis, non dentatis, C. B. *la Fougere femelle, la Fougere commune*.

13. *Nec florem habent, nec semen*. Filix mas florem semenque habet foliis inhærentia, & plerumque bino ordine disposita.

14. *Nymphæam pterin*. In Mss. Reg. & editione principe, *nymphæapterin*. Alterum autem illud genus est filix femina.

15. *Femur bubulum*. Creditur esse cardiaca, Dod. marrubium cardiaca dictum, fortè i. Theophrasti, C. B. *l'Agripaume*.

16. *Galeopsis*. Est lamium purpureum, scetidum, folio subrotundo, sive galeopsis Dioscoridis, C. B. *l'Ortie morte à fleurs rouges*.

17. *Glaux*. Est glaux maritima, C. B.

CAP. X. 1. *Glaucion*. Est glaucium flore luteo. Tournefort.

2. *Glycyside*. Est ipsa pæonia, *la Pivoine*, de qua dictum supra Libr. XXV. sect. 10.

3. *Duo autem genera*. Mas, est pæonia folio nigricante, splendido, quæ mas, C. B. *la Pivoine mâle*. Femina, est pæonia communis vel femina, C. B. *la Pivoine*.

4. *Qualia isatis*. Verius, *qualia juglandis*; ut habet Dioscorides, III, 157.

5. *Mas plures habet, quoniam non unâ*. Hæc fortè librariorum errore corrupta, & legendum, *mas non plures habet, quoniam unâ*. Pæonia mas unam habet radicem, ut rectè scribit Dioscorides, loc. cit.

6. *Gustu adstringit*. Mss. Reg. & editio princeps.

7. *Gnaphalion*. De gnaphalio, *l'Immortelle*, dictum supra Libr. XXIV. sect. 88.

8. *Gallidragam*. Gallidraga est dipsacus, labrumque Venereum, *le Chardon à foulon*; de quo jam sæpe dictum.

9. *Crescente æstate*. Bene Ms. Reg. 1. In Ms. Reg. 2. & editione principe, *arescente æstate*. Pessimè emendatum in recentioribus editionibus, *crescente ætate*. Vermiculi illi a medio ferme mense Augusto ad medium Septembrem in capitibus dipsaci reperiuntur. Multis autem experimentis certa eorum vis adversus dentium dolores.

10. *Si terram non attigerit.* Bene Mss. Reg. & editio princeps.

11. *Holcus.* Est gramen spicatum, vulgare, secalinum. Tournefort.

12. *Hyoseris.* Mss. Reg. 1. Est carduus Cre-
ticus, spinosus, rari folio. Tournefort.

13. *Holosteon.* Est juncus palustris, humilior,
erectus. Tournefort. *le Jonc des marais.*

14. *Ex adverso.* Id est, per *ἀντίφρασιν*.
Licet enim sit sine duritiâ, appellatur tamen
holosteon, quasi *ὄλον ὀσέον*, totum os.

15. *Vulnera quoque.* Ms. Reg. 1. & editio prin-
ceps.

16. *Coguntur.* In Mss. Reg. *coquuntur*, vel
concoquuntur.

17. *Hippophæston.* Est carduus stellatus, sive
calcitrapa, J. B. Carduus stellatus, foliis papa-
veris erratici, C. B. *le Chardon étoilé, la Chauss-*
setrappe.

18. *Fiunt æneæ fulloniæ.* Id est, cortinæ ful-
loniæ implentur, ad lavandas poliendasque ve-
stes. Vide suprâ Libr. XXIV. sect. 68.

19. *Paralyses incipientes.* Magna quoque hip-
pophæsti vis adversus febres, ad vulnera, in
oculorum morbis doloribusque nephreticis.

CAP. XI. 1. *Hypoglossa.* Est ruscus myrtifo-
lius aculeatus. Tournefort. *le petit Houx, le*
Buis piquant, le Houx-frelon.

2. *Hypecoon.* Est hypecoon latiore folio.
Tournefort.

3. *Idææ herbæ.* Est ruscus angustifolius, fru-
ctu folio innascente. Tournefort. *le Fragon, le*
Laurier-Alexandrin à feuilles étroites.

4. *Spissandi.* Id est, adstringendi, ut sæpe
monui.

5. *Isopyron*. Juxta Cæsalpinum est ochrus folio integro, capreolos emittente, semine sublu-
teo, C. B.

6. *Seminis melanthii*. Id est, cujus semen ac-
cedit ad saporem melanthii; ut habet Diosco-
rides IV, 44.

7. *Lathyris*. Est tithymalus latifolius, cata-
putia dictus, H. L. Bat. Lathyris major, C. B.
& *Epurge*.

8. *Facilia purgatu*. Certè lathyris maximam
habet purgandi vim. Videtur tamen *facilia pur-
gatu* interpretanda esse, *facilia decorticatu*. Ea
decorticata laudat Dioscorides IV, 167.

9. *Leontopetalon*. Est leontopetalon foliis co-
stæ ramosæ innascentibus. Tournefort. Illud vi-
dit & in agro Smyrnensi Cl. Antonius Galland,
Voyage Ms. quale a Plinio & Dioscoride de-
scribitur.

10. *Lycapsos*. Est echium majus & asperius
flore dilutè purpureo, Bot. Monsp.

11. *Lithospermo*. Lithospermum est lacryma
Job, Clus. *la Larme de Job*.

12. *Ut ejus species etiam*. Bene Ms. Reg. 2.
& editio princeps.

13. Φεύγετε κανθαρίδες. Id est, *Cantha-
rides fugite hinc: vobis lupus improbus instat*.

14. *Limeum herba*. Est ranunculus cyclaminis
folio, asphodeli radice, major. Tournefort.

15. *Appellatur a Gallis*. A Gallis Transpa-
danis. Elleboro autem nostri Galli sagittas suas
tingebant; ut dictum est supra Libr. XXV.
sect. 25.

16. *Venenum cervarium*. Toxicum quoque il-
lud cervarium, Gallis familiare, memorat Festus.

17. *In tres modios salivati.* Potionem, quâ salivabatur ægrotum pecus, tradit Columella VI, 3. Sed limeum non memorat.

18. *Leuce.* Est polium, de quo dictum supra Libr. XXI. sect. 21.

19. *Quæ leucas.* Leucas illa fortè est polii species. Aliter nobis ignota.

20. *Leucographis.* Est silybus lacteus, *le Char-don-Marie*, de quo dictum supra Libr. XXVI. sect. 25.

CAP. XII. 1. *Medium.* Videtur esse campanula hortensis, folio & flore oblongo, purpureo, C. B. Dioscoridi tamen in Nothis dicitur medion a Romanis appellari trifolium odoratum. *Μήδιον... Ρωμαῖοι τριφύλιον ὀδοράτευμα.*

2. *Iridis sativæ.* Ex Dioscoride IV, 18. emendandum videtur, *seridis sativæ.* Ibi enim dicitur *ὅμοια σέριδι.*

3. *Myosota, sive myosotis.* Est lithospermum arvense, minus. Tournefort. *le petit Gremil, la petite Herbe aux perles.*

4. *Mensis quem Thothi vocant.* In Mss. Reg. 2. & Chiff. *Thoti.* Malè eruditus Harduinus in alterâ suâ editione, *Thiatin.* Is est Thoth, primus Ægyptiorum mensis.

5. *Die XXVIII.* Ita Mss. Reg. 1. 2. & Chiff. Malè editio princeps & eruditus Harduinus in alterâ suâ editione, *die XXVII.* Dies XXVIII Thoth incidit in diem 25. Septembris.

6. *Myagros.* Quæ sit herba myagros ignotum. Nobis quidem est myagron monospermon, latifolium, C. B. sed a myagro Plinii & Dioscoridis omnino diversum. Nec satis feliciter divinant, qui volunt myagrum herbam esse erysi-

mum, *le Vêlar*, de quo dictum supra Libro XVIII. sect. 22.

7. *Ferulacea*. Dioscoridi, IV, 117, non dicitur ferulacea, *ναρθηκώδης*; sed furculacea, *φρυγανώδης*.

8. *Herba*, quæ vocatur *nyma*. Mss. Reg. 1. & 2. Est autem prorsus ignota.

9. *Natrix*. Est anonis viscosa, spinis carens, lutea, major, C. B. *l'Arrête-bœuf jaune*. Anonis illa hirci virus redolet.

10. *Fatuos vocant*. Ex vulgari populorum omnium superstitione sic appellant spiritus incubos. At morbus est *le Cochemur*.

11. *Odontitis*. Est lychnis pratensis, flore laciniato, simplici, Mor. Caryophyllus pratensis, flore laciniato simplici, sive flos cuculi, C. B.

12. *Othonna*. Juxta J. Bauhinum est tagetes maximus, rectus, flore maximo, multiplicato. *la Rose d'Inde*.

13. *Onosma*. Videtur esse buglossum silvestre, minus, C. B. *la petite Buglose sauvage*.

14. *Sine flore, sine semine*. Fortè, quòd aut juniorem, aut effcctam plantam viderat.

15. *Onopordon*. Est carduus tomentosus, acanthi folio angustiori. Tournefort. *l'Onoporde*.

16. *Osyris*. Juxta plurimos est linaria vulgaris lutea, flore majore, C. B. *la Linaire commune, le Lin sauvage*. Aliis est casia Poetica Monspeliensium, an Theophrasti, Lob. *Osyris frutescens, baccifera*, C. B.

17. *Nigrum initio, dein . . . rubescens*. Id non de semine, sed de foliis prodidit Dioscorides IV, 143.

18. *Radicum decoctum*. Immo totius plantæ. Dioscorid. *ibid.*

19. *Oxys*. Est oxys flore albo. Tournefort. Oxys, sive trifolium acetosum, vulgare, flore lacteo, C. B. *l'Alleluia, le Pain de coucou à fleurs blanches.*

20. *Polyanthemum, quam quidam batrachion.* De ranunculo seu batrachio jam dictum Libr. XXV. sect. 109. Polyanthemum autem est ranunculus folio aconiti, flore albo multiplici, C. B. *la Renoncule à feuille d'aconit.*

21. *Polygonon.* Est polygonum latifolium, C. B. *la Renouée.*

22. *Hanc feminam esse.* Juxta Dalecampium hæc est herniaria glabra, J. B. Polygonum minus, sive millegrana major, C. B. *l'Herniole, l'Herbe du Turc.*

23. *Tertium genus oreon.* Est equisetum arvense, longioribus fetis, C. B. *la Prêle, la Queue de cheval.*

24. *Et in se infarctis.* Malè Ms. Reg. 2. & editio princeps, *infractis.* Recentiores, *fractis.* Emendandum fuit, *infectis*; ut patet ex Dioscoride IV, 5. qui ait genicula alia aliis, tubarum modo, inferi, aut infarciri, γόνυατα ἐγκείμενα ἀλλήλοις.

25. *Quartum genus silvestre.* Hoc videtur esse ephedra maritima. Tournefort. Polygonum bacciferum, maritimum, majus, sive uva maritima, major, C. B.

26. *Pancration.* Est narcissus maritimus, C. B.

27. *Peplis.* Est tithymalus rotundis foliis non crenatis. Tournefort. Peplus, sive esula rotunda, C. B. *le Tithymale des vignes.* Peplin cum porcilacâ confudit Plinius supra Libr. XX. sect. 81.

28. *Minore, quàm candidi papaveris.* In Ms. Reg. 2. & editione principe, *minùs candido, quàm papaveris.*

29. *Subjeētis.* Subjeētis linteis, tabulisve.

30. *Peryclimenos.* Est caprifolium Germanicum, Dod. Periclymenum non perfoliatum Germanicum, C. B. *le Chevre-feuille.*

31. *Partum quoque adjuvant.* In eo usu adhuc est apud nos caprifolium.

32. *Pelecinum in segetibus diximus.* Est securigida, de quâ dictum suprâ Libr. XVIII. sect. 44.

33. *Polygala.* Est polygala major, Massyliotica, C. B.

34. *Poterion.* De poterio dictum suprâ Libr. XXV. sect. 76.

35. *Phalangites.* Est phalangium parvo flore ramosum, C. B.

36. *Phyteuma.* Est reseda minor, vulgaris, Tournefort.

37. *Phyllon.* Mas, est mercurialis fruticosa, incana, testiculata. Tournefort. Femina, mercurialis fruticosa, incana, spicata. Tournefort. *la Mercuriale.*

38. *Mares autem mas semine.* In Ms. Reg. I. *mares autem a semine.* Sic ex literarum similitudine orta est corruptela, & omissum, *mas.*

39. *Phellandrion.* Est phellandrium, Dod. Cicutaria palustris tenuifolia, C. B. *la Cicutaire des marais.*

40. *Phalaris.* Est gramen spicatum semine mihiaceo, albo, Tournefort. *la Graine de Canari.*

41. *Polyrrhizon.* De polyrrhizo aristolochiâ dictum suprâ Libr. XXV. sect. 54. Nota aristolochiæ vis contra serpentes.

42. *Proserpinaca*. Ex Apuleio, Cap. 18. Proserpinaca est ipsum polygonum, de quo dictum supra sect. 91. At ex Marcello Empirico, Cap. 15. Proserpinalis est dracontium, *la Serpentaire*, cujus notissima vis contra serpentes & venenata animalia; eadem tradit, quæ nunc Plinius, ad faucium remedia.

43. *E mænīs*. De mænâ, piscium genere, quo fiebat garum, vide infra Libr. XXXII. sect. 53. & supra Libr. XXVI. sect. 11.

44. *Cùm obmutuerint*. Cùm præ lassitudine vox defecerit.

45. *Rhacoma*. Est centaurium majus, folio Helenii incano. Tournefort.

46. *Asperitates*. Hypochondriorum distentiones.

47. *Quam resedam*. Est reseda vulgaris, C. B. *le Réséda*.

48. *Quis hic pullus*. Ita Mss. Reg. 1. 2. 3. Chiff. & editio princeps.

49. *Stæchas*. Est stœchas purpurea, C. B. *le Stæchas*. Frequens est in Stœchadibus insulis, *les isles d'Ieres*; at non ibi solùm nascitur.

CAP. XIII. 1. *Solanum*. De solano dictum supra Libr. XXI. sect. 105.

2. *Tradit Cornelius Celsus*. Celsus, II, 33.

3. *Smyrnion*. De Smyrnio dictum supra Libr. IX. sect. 48.

4. *Ut apii*. Mss. Reg. & editio princeps. Recentiores, *ut anethi*. Habet quidem Dioscorides, *ἀνυθοειδές*. At non Dioscorides in Plinio, sed Plinius ipse quærendus est.

5. *Unde & nomen*. Smyrnium dictum a *σμύρνα*, myrrha.

6. *Sinon*. Est sium aromaticum, sison officina-

narum. Tournefort. Sifon quod amomum officinis nostris, C. B.

7. *Telephion*. Est anacampseros portulacæ folio. Tournefort. *l'Orpin à feuille de pourpier*. In Mss. Reg. *porcilacæ*.

8. *Trichomanes*. Est trichomanes sive polytrichum officinarum, C. B. *le Polytric*.

9. *Adianto*. De adianto dictum supra Libr. XXII. sect. 30.

10. *Thalitrium*. Est thalictrum majus siliquâ angulosâ, aut striatâ, C. B. *la Rhue des prés*.

11. *Thlaspi*. Est thlaspi vulgatius, J. B. Thlaspi arvense, vaccariæ incano folio, majus, C. B. *le Thlaspi*.

12. *Peltarum specie*. Pelta ergo fuit discus. Dicitur enim Dioscoridi, II, 186. *δισκοειδές*.

13. *Infringitur, unde nomen*. Thlaspi dictum a *θλάω*, premo; quòd fructum habeat planum & quasi compressum.

14. *Infusum, donec sanguinem trahat*. Hic vel Plinius, vel ejus librarii aliquid peccavere. Quis enim clysterem infundit, ut sanguinem trahat. Optimè monuit eruditus Harduinus ex Dioscoride, II, 186. emendandum: *prodest ischiadicis infusum: potu sanguinem trahit: menses quoque ciet, & partus necat*. "Αγρει δὲ καὶ αἷμα ποθέν. Concretum nempe sanguinem exscreando educit.

15. *Alterum thlaspi*. Est cochlearia folio cubitali. Tournefort. Raphanus rusticanus, C. B. *le Raifort des paysans*.

16. *Persicum napy*. Dioscoridi, II, 186. est *Περσικὸν σίνηπι*.

17. *Trachinia herba*. Nobis, ut & Plinio, ignota.

18. *Tragonis, sive tragion.* De tragio dictum supra Libr. XIII. sect. 36.

19. *Herba tragos, quam aliqui scorpion.* De trago, aut scorpio, dictum Libr. XIII. sect. 37. Alia autem est herba scorpio, de qua dictum Libr. XXII. sect. 17.

20. *Tragopogon.* Est tragopogon pratense, luteum, majus, C. B. *la Barbe de bouc.*

21. *Haecenus accepimus.* Mss. Reg. 1. & 2.

22. *Alias aliis.* Mss. Reg. & editio princeps.

23. *Ut diximus.* Supra Libr. XX. sect. 3.

24. *Peucedanum sex. Aristolochia.* Sic rectè distinguendum ex Theophrasto, Hist. Plant. IX, 14. Nec fuit addendum, & *aristolochia.*

25. *Anno in umbra servantur.* Ex Theophrasto, loc. cit. mallet, *aristolochia ac vitis silvestris anno, si in umbrâ ferventur: ἐὰν ἐν σκιᾷ ᾖ.*

26. *Exceptâ sphondyle.* Theophrasto, ibid. *σφονδύλη.* Est autem sphondyle, insectum de blattarum genere, & tetri odoris, ut patet ex Scholiaste Aristophanis apud Constantinum.

27. *Genus id serpentis est.* Crediderim id non esse Plinii, sed alicujus scioli, & indocti. Est enim insectum, ut jam monui ex Theophrasto & Aristophanis Scholiaste.

28. *Sunt & gentium differentia.* Sunt & gentium morbi, ut phthisis Lusitanis, struma hispanis & Alpinis, plica Polonis, hydrocele Gallicis Narbonensibus, &c.

29. *Rerum enim omnium parens.* Ita emendandum suadent vestigia veteris scripturae in Mss. Reg. & editione principe, quæ habet, *rursus enim rerum parens.* Ms. Reg. 1. *rursus enim*

eam rem parens. Non ita bene emendatum in recentioribus editionibus, *enimverò rerum omnium parens.*

30. *Cùm surdis.* Surdæ res, id est, inanimes & ignobiles, ut dictum suprâ Libr. XXII. sect. 3.

31. *Insereret.* Mss. Reg. 1. & 2.

32. *Ex animâ aliâ.* Hominum vitæ auxilia ex animalium vitâ esse voluit.

IN LIBRUM XXVIII.

CAP. I. 1. *Naturæ omnium rerum.* Mss. Reg. & editio princeps.

2. *Fides tantùm auctores.* Fides est penes auctores quos appellat.

3. *Neque illic in totum.* Neque, cùm de animalibus ageretur in superioribus libris, in totum omiffa.

4. *Ut bibentibus procul sint comitiales morbi.* Optimè & totidem literis Mss. Reg. 5. & 6. In editione principe, *procul sit.* Pessimè emendatum in recentioribus editionibus, *ut viventibus poculis comitiales morbi.* Miror eruditum Harduinum scribere: *Sic libri omnes, tum editi, tum exarati manu, quos vidi, quosque non vidi.* Ego ne unum quidem Ms. Reg. vidi qui haberet, *poculis.* Mss. Reg. 1. & 2. habent *populis.*

5. *Quadrupedes homines sanavere.* Mallem, *homine.* Litera *s* ex sequenti voce arcessita videtur.

6. *Mederi poterit.* Ita Mss. Reg. 1. 2. & 6. In Ms. Reg. 5. & editione principe, omiffum, *poterit.*

CAP. II. 1. *Oportere conveniat.* Sic Mss. Reg. 1. & 2. In Mss. Reg. 5. 6. & editione principe, *convenit.*

2. *Aut deos.* Ita Ms. Reg 2. & editio princeps. In Ms. Reg. 5. *an deos.*

3. *Commentationis.* Ita quidem libri omnes scripti & editi. At certè legendum, *commendationis*; ut patet ex Valerio Maximo, Cap. I. num. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, cùm aliquid commendandum est, precatione . . cùm inquirendum vel extis, vel sortibus, impetrato.*

4. *Conjectatione.* Ita Mss. Reg. 1. 2. 5. 6. & editio princeps. Malè in recentioribus, *conjectione.* Miror eruditum Harduinum testari Mss. omnes Reg. Colb. Chiff. aliosque habere, *conjectione.*

4. *Suo loco docuimus.* Suprà Libr. II. sect. 54.

5. *Multi verò.* Multi verò auctores sunt.

6. *Missis ob id ad se legatis.* Bene Ms. Reg. 2. Non ita bene Mss. Reg. 1. 5. 6. & editio princeps, *a se.* Missi erant legati ad Olenum Calenum.

7. *Virgilii incantamentorum.* Virgil. Eclog. VIII, 64. & seqq.

8. *Contrahique Marsorum cantu.* Viget adhuc illa cantûs scientia apud Indos, quâ non modò contrahuntur, sed veluti tripudiant serpentes, ut ipse accepi ab oculatis testibus, qui sæpissimè id vidêre. Antiquissimus autem est illius scientiæ usus; & inde intelligere est in David, Psalm. LVII, 5. *Similitudinem serpentis . . . vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

9. *Quæ irridicula.* Mss. Reg.

10. *Dixit Homerus.* Homer. Odyss. τ. vers.

457.

11. *Theophrastus.* Vide Athenæum, Libr. XIV pag. 624.

12. *Cato prodidit.* Cato de Re rustic. Cap. 160. Vide & Plinium supra Libr. XVII. sect. 47.

13. *Cæsarem dictatorem.* Idem fuit apud nos Henrico IV. regi magno & principi optimo, metus.

14. *Sternuentes salutamus.* Bene Ms. Reg. 5. & editio princeps.

15. *Pollices, cum faveamus, premere.* Apud Romanos, signum fuit favoris, pollicem premere; favor autem maximus, utroque pollice laudare. Contrà verò malæ voluntatis indicium, conversus pollex.

16. *In adorando.* Sic adhuc in salutando dexteram ori admovemus; & inde dicta adoratio.

17. *Totumque corpus circumagimus.* Præceptum id fuit Numæ, ut videre est apud Plutarchum in Numâ, pag. 69. προσκυνεῖν προσεφερομένους. *Circumage te, cum deos adoras.* Viget adhuc mos ille in Oriente; & Turcæ post orationem dextrorsum & sinistrorsum se circumagunt, ut angelos suos salutent.

18. *In lævum fecisse, Galliæ religiosius.* Divonæ Cadurcorum, Cahors, exstat in antiquo marmore Gallicæ hujus adorationis monumentum. Cur verò in lævum converterent se Galli, ratio fuit, ut opinor, quòd se Diti progenitos crederent. Inde in lævum Oceanumve se convertebant. Contrà in Oriente ad dextram convertebantur, nempe ad orientem Solem.

19. *Dicis causâ*. Ita Mss. Reg. 1. & 2. *Dicis causâ* aliquid fit, cum perfunctoriè, nec ex animo. Talia facta a pontifice memorat Cicero in Orat. pro Domo suâ. Plura vide apud eruditum Briffonium in Lexico. In editione principe aliisque, *Ditis*.

20. *Paganâ lege*. Lege per pagos vulgatâ.

21. *M. Servilius Nonianus*. Consul fuit sub extremis Tiberii temporibus, anno U. C. DCC-LXXXVIII.

CAP. III. 1. *Hominum monstrificas . . . diximus*. Suprà Libr. VII. sect. 2.

CAP. IV. 1. *Illata*. In domum illata.

2. *Pelopis costa*. Corruptè. In Mss. Reg. *Pelopis ostiliam*: in editione principe, *Pelopis hasta*. Emendavere recentiores, *Pelopis costa*. Legendum potiùs, *Pelopis scapula*. Est enim teste Virgilio, Georg. III, 7.

Humero Pelops insignis eburno.

3. *Præsidio esse docuimus*. Suprà Libr. VII. sect. 2.

4. *Despuimus comitiales morbos*. Quod ex pestilentibus morbis ortum, ne inquinata saliva corpus vitiet.

5. *Malo terræ*. Malum illud terræ videtur esse cyclaminum, seu tuber terræ, inter amuleta recensitum suprà Libr. XXV. sect. 67.

6. *Respicere similis*. In Ms. Reg. 2. & editione principe, *recipere*. Quod revocavit eruditus Harduinus in alterâ suâ editione. At rectè fuerat emendatum, *respicere*; ut patet ex Tertuliano in Apologetic. Cap. 33. *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admo-*

netur. Suggestur enim ei a tergo, *Respice post te. Hominem te esse memento.*

7. *Redivias sanari.* Malè Mf. Reg. 2. *rediviva.* Emendandum non fuit, *reduvias*; sed *redivias*. Sic enim Festus: *Rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit; quia luere est solvere.* Idem laudat ex Titinio, *rediviæ*; ex Livio, *rediviosa.*

8. *Sordes hominis . . . gymnasia Græcorum.* Quanti venirent hæ sordes dictum est supra Libr. XV. sect. 5.

9. *In varietate victus inobservatâ.* Ita Mff. Reg. & editio princeps.

CAP. V. 1. *Non prudentium extra.* Extra certum modum. Sanus enim homo nullis obligare se legibus debet, sed liberaliùs vivere, ut videre est apud Celsum, II, 1.

2. *Non epulis.* Non de epulis gulâque id dictum, sed ut sanitati consulatur.

CAP. VI. 1. *Et sacris votisve.* Mff. Reg. & editio princeps.

2. *A convulsione reddito sanguine.* Cùm ex nervorum ac muscutorum retractione sanguinem evo-
muisset. Convulsionem illam dicimus *une Quinte.* Hac nostrâ ætate tale silentium sibi imperavit nobilissima femina *de Belle-Isle*, Polemarchi uxor.

3. *Pronos urinam.* Pronus, cùm quis ventri incumbit, terramque despicit. Contrâ supinus, cùm quis dorso incumbit, & cælum suspicit.

4. *Nodo Herculis.* Talem nodum videre est in draconibus mutuò implicatis, caduceoque Mercurii. Vide imaginem Mercurii apud Gruterum, Inscript. antiq. pag. LI. Macrobi. Saturnal. I, 19. *Hi dracones parte mediâ voluminis sui invicem*

nodo quem vocant *Herculis*, obligantur.

5. *Aspidum*, quas *ptyadas* vocant. *Aspides* sunt quæ venenum suum in faciem exspuunt. Tales *aspides* non novimus.

6. *Ab ipso respergi*. Mss. Reg. 1. & 2.

7. *Hesiodus juxta obstantia*. Hesiod. "Εργων, vers. 725.

CAP. VII. I. *Si rana*. *Rana rubeta*, cujus venenata est saliva.

2. *Et si contra epiphoras*. *Malle*, & contra *epiphoras*, si ferventes anguli, &c.

3. *Ipsa in mense connudatâ*. Locus ille sic mihi videtur distinguendus, & emendandus. Jam primùm abigi grandines turbinesque, contra fulgura ipsâ in mense nudatâ; sic averti violentiam cæli. Minimè certæ latinitatis vox est *connudata*. In Mss. *mense nudato*. In editione principis, *mense eo nudata*.

4. *Uti suo loco indicavimus*. Suprà Libr. VII. sect. 13. *Fabulas esse quæ de feminarum menstruis produntur*, ibi monui.

5. *Ætatis sponte*. *Sponte naturæ*.

6. *Cùm rabiem canum ... dixerimus*. Suprà Libr. VII. sect. 13.

7. *Caminorum farinâ*. *Fuligo est, la Suie*.

8. *Per se annis*. *Ipsius ætatis naturæque sponte*.

9. *Desecratum*. *Variis morbis destinatum ac consecratum*.

10. *Scincus*. *Scincus, le Scine*.

11. *Detrahendi sanguinis, ut diximus*. Suprà Libr. VIII. sect. 40.

12. *Super Saiticam præfecturam*. *In inferiore Ægypto, intra Delta, Occidentem versus*.

CAP. IX. 1. *Ab hominis.* Mss. Reg. & editio princeps.

2. *De novellis.* De novellis & vernantibus pratis.

3. *Cum calculis marinis.* Igniti illi calculi lapillive in lac injiciuntur. Calculorum vice, ferreos cylindros ignitos lacti immittebat Galenus, Libr. X. de Fac. simpl. med. pag. 280. Sic ventrem adstringit.

4. *Eruptiones pituitæ.* Sunt ἐξανθήματα, papulæve & pufulæ quæ in facie genisque maximè erumpunt.

5. *Diximus in ratione herbarum.* Suprà Libr. XXV. sect. 53.

6. *Articulariis morbis.* Ms. Reg. 2.

7. *Colchicon biberint.* Est colchicum commune, C. B. le Colchique.

8. *Aut dorycnium.* De dorycnio, seu solano furioso, dictum suprà Libr. XXI. sect. 105.

9. *Suillum utilissimum.* Apud Dioscoridem II, 77. lac ovillum utilissimum tenesmo & dysenteriaë dicitur.

10. *De generibus caseorum diximus.* Suprà Libr. XI. sect. 96.

11. *Sapron.* Saprois est caseus putris, & vetustate putidus.

12. *Oxygala vocatur.* Ms. Reg. 2. & editio princeps. Viget adhuc ejus usus apud Turcas. De eo multa habet & curiosa Cl. Busbequius, Epist. I, pag. 64.

13. *Dicemus suis locis.* Infrà sect. 58.

14. *Multò efficacior est femina.* Ms. Reg. 2. & editio princeps.

15. *Romæ publicis sacris equus.* Idibus Octo-

bris in campo Martio equus immolabatur ob frugum eventum. Vide Festum, verbis *october & panibus*. Inde in Kalendario Herwartiano, IDIB. OCTOBR. EQVVS ADNIXVS FIT.

16. *Excepta Ægira*. Ægira est insula Lesbos. Vide supra Libr. V. sect. 31.

17. *Aut loco fiat*. Nec sentiantur venena.

18. *Drusus tribunus plebei*. Drusi & Cæpionis inimicitiarum initia vide infra Libr. XXXIII. sect. 6.

19. *Ideo suis quisque*. Bene Ms. Reg. 2. & editio princeps.

20. *Exitio his esse cervos*. Cervos esse exitio serpentibus dictum supra Libr. VIII. sect. 50.

21. *Nidore cornu eorum*. Ms. Reg. 2. & editio princeps.

22. *De summo gutture*. Ms. Reg. 2. & editio princeps.

23. *Tractatum sit*. In Mss. Reg. & editione principe, *tractum sit*. Unde fortè legendum, *tractum sit*.

24. *Venter, quem centipellionem*. Venter ille, *le petit Ventricule*. In cervis ceterisque animalibus ruminantibus geminus est venter. Vide supra Libr. XI. sect. 78.

25. *Sevove cervi tacta aut vituli*. Ms. Reg. 2. & editio princeps.

26. *Animal cervo minus*. Sunt qui putent esse musmonem, de quo dictum supra Libr. VIII. sect. 75.

CAP. X. I. *Præter ea quæ retulimus*. Supra Libr. VIII. sect. 34.

2. *Opocarpatum*, Mss. Reg. & editio prin-

ceps. Succus est carpati, seu carpasi, ut a Dioscoride Libr. VI. in Præf. & Cap. 13. appellatur, τῆς καρπάσος ὀπός. Inter venena recensetur, & myrrhæ speciem odore mentiebatur.

3. *Aut pharicon.* Pharicum quoque inter venena recensent Dioscorid. Libr. VI. Cap. 19. & Scribonius Largus, compos. 195. Ex pluribus erat compositum; gustumque habebat nardi. Potum autem spasmus faciebat, & citò exanimabat.

4. *De equiferis.* Videtur equiferum esse alcem, l'Elan; de quo dictum suprâ Libr. VIII, sect. 16.

5. *Si ephemeron.* Ephemeron illud est colchicum, le Colchique; de quo modo suprâ dictum est.

6. *Omasi quoque.* Omasum est pinguius & crassius bovis intestinum.

CAP. XI. 1. *Cum oleo cicino.* In Ms. Reg. 2. & editione principe, *cum oleo citreo.* Ms. Chiff. Habdarrahmnus Ægyptius, Cap. 6. *cum oleo lauri.*

2. *Verminationes.* Vermes dentium.

3. *Lichene enim equi.* Lichenes equorum, ex Dioscoride, II, 45. *sunt calli, tuberosæ verrucæ instar, circa genua & ungulas in earum partium flexu indurati.* Lichen ille veterinariis dicitur le Sur-os.

5. *Hippomanes tantas in veneficio vires.* De hippomane & fabulis quas de eo commenti sunt antiqui jam dixi suprâ Libr. VIII. sect. 66. Si equam Olympiam appetivere equi, id non factum hippomanis mixturâ, sed odoribus quibusdam in equâ inclusis.

4. *In corde equorum.* Vide supra Libr. XI. sect. 70.

CAP. XII. 1. *Cutem in facie.* Bene Mss. Reg. & editio princeps.

2. *Poppæa hoc Neronis.* Poppæa Neronis principis uxor.

3. *Ob hoc asinarum gregibus.* Mss. Reg. 1. & 2.

4. *Impetus pituitæ in facie, butyro.* Impetus illi pituitæ sunt papulæ, ut jam dixi supra Cap. 9. Vidi Cl. *Astruc*, qui illos quoque butyro ilito cum cerussâ tolleret.

5. *Sincero verò.* Sincерum butyrum, id est, nec fale, nec cerussâ mixtum.

6. *Non ut crocodileam.* Mss. Reg. & editio princeps. De crocodileâ dictum supra sect. 28.

7. *Æstates.* Maculæ sunt ab æstivo sole.

8. *Sevo vituli cum medullâ.* Mss. Reg. & editio princeps.

9. *Ramo ficulneo permixtum.* Permixtum, id est, agitatum.

10. *Sacrificiorum usum.* Mss. Reg. 1. & editio princeps.

11. *Gargarizatum.* Mss. Reg. 2.

12. *Aut reddi, aut delabi.* Aut reddi vomitu, aut delabi in alvum.

13. *Optimus fagino & caprino.* Optimus sapo fit e fagino cinere & caprino sevo. Aliter nobis paratur sapo, *le Savon*. Sed hic veriùs est, *àne Pommade*.

CAP. XIII. *In foliis.* In foliis brassicæ.

2. *In renum dolore.* Mss. Reg. & editio princeps.

CAP. XV. 1. *Arrhenico.* Arrhenicum, *l'Arrenic*; quo semper cautissimè utendum, ob periculum,

CAP. XVI. 1. *Cervorum caro*, ut diximus. Suprà Libr. VIII. sect. 50.

2. *Genus febrium*, quod *amphemerinum*. Hæc est febris quotidiana.

3. *Ne recidant*. Ne febris recurrat, non removendum est remedium usque ad septimam accessionem.

CAP. XVII. 1. *De armentivis* De armento.

2. *Quod bolbiton vocant*. Fimum Græci *βόλιον* vocant.

3. *Staphylini*. De staphylino pastinacâ dictum suprà Libr. XX. sect. 15.

4. *Simili modo caprinum*. Mss. Reg. & editio princeps.

5. *E penicillis tectoriis*. E penicillis, quibus parietes inalbantur.

6. *Vere collecto*. Per vernum tempus.

7. *Quadrigas agentes tractos*, rotâve vulneratos. Ms. Reg. 2. & editio princeps.

8. *Reverentiores*. Ita Mss. Reg. & editio princeps.

9. *Trigario approbare*. Trigarius est, qui trigas equarum in Circensibus agit. Est & trigarium, in Glossis Philoxeni, locus in quo exercentur equi, *le Manège*.

CAP. XVIII. 1. *Boas*. De bois dictum suprà Libr. XXIV. sect. 35.

CAP. XIX. 1. *Diximus in naturâ boum*. Suprà Libr. XI. sect. 79.

2. *Restibilem fecunditatem*. Quæ in sequentes annos durat.

3. *Ut stent perpetuò*. Ne tumeant crescantve mammæ.

4. *Cum palmâ marinâ*. De maritimis Hispa-

nae palmis dictum supra Libr. XIII. sect. 6.

5. *Sanguine ricini.* Ricinus, *la Tique.*

6. *Virgilio quoque.* Virgil. Georgic. III, 280.

7. *Salpe.* Salpe obstetrix, de qua dictum supra.

CAP. XX. I. *Vestigium equi excussum unguâ.*
Est ferrea equi solea.

2. *Singultus remedium esse recordantibus.* Est in hoc vis remedii: neque id ita mirum. Nempe recordatione illâ mens distrahitur. Hæc distractio sufficit, ut singultus desinat.

3. *Facilius extrahi.* Facilius avocari e stabulis, nec eò regredi.

IN LIBRUM XXIX.

CAP. I. I. *Instantium ac præteritorum.* Ita Mss. Reg. & editio princeps. Sic quoque Cl. Rezzonicus ex Ambrosian.

2. *Nullis ante hæc.* Mss. Reg. I. Ambrosian. editio princeps, & Cl. Rezzonicus.

3. *Qui hæc noscant.* Mss. Reg. Ambrosian. editio princeps & Cl. Rezzonicus.

4. *Clinice vocatur.* Sic dicta medicina, quòd ἐν κλίνῃ, in lecto, invisuntur curanturque ægri.

5. *Instituit quam vocant Iatralepticen.* Ms. Reg. 2. & editio princeps. Iatraleptice autem medicina est, quæ unguentis & perfriktionibus medetur.

6. *Et unctoribus.* Malè Ms. Reg. 2. & ultoribus. Editio princeps, *auctoribus.* In Ms. Reg. 5. & recentioribus editionibus, *reunctoribus.*

7. *Ac mediastinis.* Mediastini, ex Nonio sunt balneatores.

8. *Centum talentis.* Si sunt talenta Syriaca,

efficiunt Gallicæ monetæ libras 116,727. Si Attica, libras 466, 875.

9. *Ut retulimus.* Libr. XXVI. sect. 7. & 8.

10. *Themison.* Is fuit auctor sectæ Methodicorum, De eo Juvenalis, Satyr. X, 221.

Quot Themison ægros autumnò occiderit uno.

11. *Ducena quinquagena H-s.* Ducena quinquagena sestertia sunt Gallicæ monetæ libræ 48,632.

12. *Sestertiis quingenis.* Sestertia quingena sunt Gallicæ monetæ libræ 97,265.

13. *Sexcena.* Sexcena sestertia sunt Gallicæ monetæ libræ 116,718.

14. *H-s. ccc.* Trecenties centena millia sestertiûm sunt Gallicæ monetæ libræ 5,836,507.

15. *Vectius Valens.* De eo vide Tacitum, Annal. XI, 31. & 35.

16. *Ad Thessalum.* Thessalus, Trallianus, Methodicorum sectam renovavit & propagavit.

17. *Iatronicen.* Medicorum victorem.

18. *Arte geminatâ.* Inde illi medici appellabantur *ιατρομαθηματικοί.*

19. *Centies H-s.* Centies centena millia sestertiûm sunt Gallicæ monetæ libræ 1,945,502.

20. *Mœnibusque aliis.* Aliorum oppidorum mœnibus.

21. *Annæi Senecæ adstipulatio.* Vide Senecam, Epist. 53. & 83.

22. *Interpolis.* Hominibus qui omnia interpolant & immutant.

23. *M. Livio coff.* Bene Ms. Reg. 1. Malè Ms. Reg. 2. editio princeps & eruditus Harduinus in alterâ suâ editione *L. Livio.* M. Livius Sali-

nator & L. Æmilius Paulus consules fuere anno Urbis conditæ DXXXV.

24. *Vulnerarium.* Vulneribus curandis.

25. *Vincam.* Evincam & demonstrabo.

26. *Quàm alios opicos.* Opici dicuntur rudes & impoliti.

27. *Excepisse medicos.* Nominatim appellasse medicos cum ceteris Græcis Italiâ pellendos.

28. *Arcessitur.* Mss. Reg. 1. & 2. & editio princeps.

29. *Eudemi in Liviâ.* Eudemus, amicus ac medicus Liviæ, Drusi uxoris, a Sejano corruptæ, & in conscientiam criminis adscitus. Vide Tacitum Annal. IV, 3. & 11.

30. *Valentis, in quâ dictum est reginâ.* Vestii Valentis, dicti in Messalinâ, supra sect. 5.

31. *Pretia summittunt.* Pretia minuunt.

32. *H-s. ducentis.* Ducenta sestertia sunt Gallicæ monetæ libræ 38,906.

33. *H-s. c̄.* Centies centena millia sestertium sunt Gallicæ monetæ libræ 1,945,502.

34. *Externa pretia.* Externarum medicinarum pretia. Vide supra Libr. XXIV. sect. 1.

35. *Vulgò pro cinnabari Indicâ.* Vide infra Libr. XXXIII. sect. 38. & 39.

36. *Pectines in feminis.* Pili feminarum a medicis publicati.

37. *Virgilio.* Virgil. Georgic. I. 186. & IV, 243.

38. *Homero.* Homer. Iliad. 9^a. vers. 570.

39. *Ex cinere phœnicis.* Fabulas phœnicis vidimus supra Libr. X. sect. 2.

CAP. II. 1. *In labellis.* In vasculis.

2. *Reponunt.* Recondunt.

3. *Genas purgat.* Genæ sunt palpebræ; ut jam supra monui.

4. *Genarumque callum.* Palpebrarum callum.

5. *Duris genis.* Duris palpebris, angulis oculorum scabiosis & lacrimantibus.

6. *Cæcis doloribus.* Doloribus internarum partium, & quorum causæ ignotæ.

CAP. III. 1. *Lanæ habent & cum ovis.* Idem habet Plinius Valerianus, I, 14. *Lana carminata cum albo ovi, & thuris polline, fronti applicatur contra epiphoras oculorum.* Epiphora est catarrhi species in angulis oculorum, *l'Epiphore, le Larmoient.*

2. *Radiculâ.* De radiculâ herbâ, quâ lavantur lanæ dictum supra Libr. XIX. sect. 18.

3. *Sitista.* Quasi altilia, σιτιστά.

4. *Rhum diximus.* Suprà Libr. XXIV. sect.

54.

5. *Sibilis id dicunt in sublime jactari.* Is a Druidis acceptum videtur ex reconditiore Ægyptiorum doctrinâ, apud quos serpentes bicornes, ovum apprehendentes ore, generationis rerum omnium symbolum erant; & ovum, mundi figura. Vide gemmas apud Cl. Gori, Museum Florentinum, Tom. II. Tabul. XXIII.

6. *Id ovum mali orbiculati.* Videtur Druidas credulæ multitudini echinitas, *des Echinites, des Oursins fossiles*, pro anguinis ovis vendidisse.

7. *Commagenorum clarissimæ rei.* Est unguentum medicamentumque Commagenum.

8. *Herbâ, quæ Commagene.* Herba Commagene aliis creditur esse nardus Indica, vel spica nardi, de quâ dictum supra Libr. XII. sect.

26. Aliis verò, est cinnamum comacum, de quo etiam suprâ Libr. XII. sect. 63.

9. *Acopis curantur.* De acopis dixi suprâ.

10. *Anser corvusque.* De hoc corvi morbo dictum suprâ Libr. X. sect. 15.

CAP. IV. 1. *De anserum honore . . . diximus.* Suprâ Libr. X. sect. 26.

2. *Juventatis & summani.* Prope Capitolium in VIII. regione Urbis fuere ædes Juventatis, seu Juventæ, & Summani, seu summi dei manium.

3. *Genitæ Manæ.* Genita Mana dea erat, quæ menstruis feminarum præerat.

4. *Siderum, ut diximus.* Suprâ Libr. II, sect. 41. & Libr. XI. sect. 74.

5. *Veluti cimicum.* Cimex, la Punaise.

6. *Vincatur aspidum.* Quoniam vincit soporem, quem aspidum vis solet adferre.

7. *Fistulæ imposuere.* Fistulæ veretri. Sic Marcellus Empiricus Cap. 26. *Cimex foraminibus veretrorum confricatus dolores vesicæ penitus tollit.*

8. *LXXXIII. vitæ anno.* Ita Mss. Reg. Colb. & editio princeps.

9. *Primum spondylum.* Primum spinæ articulum, quâ cervici committitur.

10. *Aiunt enim præcanere.* Aiunt viperam tum recanere; seu incantationem repellere.

11. *Ternis digitis utrimque amputatis.* Adhuc in Pharmacopœâ Persicâ ferme quatuor digitum utrimque amputantur, ne noceat, quæ in iis partibus est, malignitas. Persæ autem viperas eligunt feminas, juvenes, & gracilentas, quæ aquatica loca non incolant: statim quoque eas occidunt, ne, si serventur, agitatione se cru-

cient & macilefcent. Plura vide apud P. Angelum de S. Joſepho, *Pharmacopœa Persica*, pag. 245. De viperis agit adhuc Plinius infra ſect. 38.

12. *Additâ ſimilagine.* Quadruplam panis candidiſſimi & antea toſti partem addunt Perſæ, teſte eodem Patre Angelo de S. Joſepho.

13. *Neque anguis.* Anguis, *la Couleuvre, le Serpent.*

14. *Anguis Æſculapius . . . Romam advectus eſt.* Anno Urbis conditæ CCCCLXXVIII.

15. *Hydri vocantur.* Sunt boæ ſerpentes, de quibus plura dicam infra ſect. 38.

16. *Stellionem veneno.* Stelliones illi, *les Lézards venimeux.* Alii enim ſunt ſine veneno.

17. *Salamandræ.* Frequentes ſunt in Neuftriâ, *la Normandie*, ſalamandræ, ibique vocantur *le Mouron.* Aliis in provinciis appellantur, *le Sourd, de Suiſſe, &c.* De ſalamandrâ ejuſque veneno vide eruditos Academicos Pariſienſes, *Mémoires pour ſervir à l'Histoire des Animaux*, Tom. III. part. 3. pag. 77. & ſeqq. Magis nocet ſalivâ, quàm morſu.

18. *E volucris.* Mſſ. Reg. 1. & 2.

19. *Ut tepebunt.* Mſſ. Reg. & editio princeps.

20. *E ramentis.* Ita editio princeps; idemque ſuadet Mſ. Reg. 2. At in Mſſ. Reg. 1. & 5. *e ſarmentis.* Ramenta auri ſæpe memorat Plinius.

21. *Phalangium.* Ad araneas pertinent phalangia. Inter araneas autem adnumeratur & tarantula, *la Tarantule, l'Araignée enragée*, inter Italos celebratiſſima. At nec nota fuiſſe videtur Plinii temporibus, nec ad Plinii phalangium eſt referenda.

22. *Unum simile formicæ.* Hoc phalangium, *la Phalange fourmilliere.*

23. *Albis intercurfantibus guttis.* Bene editio princeps. In Mss. Reg. 1. & 2. *albis guttis.* In Mf. Reg. 5. *albis respersus guttis.* Unde recentiores editiones, *albis incurfantibus respersum guttis.*

24. *Phalangium . . . lupi nomine.* Phalangium illud, *la Phalange-loup.*

25. *Tertium genus . . . araneus lanuginosus.* Tales sunt multi aranei lanuginosi.

26. *Atocio.* Atocium medicamentum est ad sterilitatem inducendam.

27. *Tali veniâ indiget.* Nos meliora docuit religio. Christianè verè que dixit Tertullianus, *Apologetic. Cap. 8. Homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Festinatio est homicidii, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.*

28. *Vocatur & rhagion.* Phalangium illud rhagion, *la Phalange-pepin de raisin.* Græcis enim *ῥάγιον* est parvus acinus.

29. *Urina similis.* Urina demorsi hominis plena est filis araneosis.

30. *Vomitus araneosos.* Vomitus filis araneosis implexos.

31. *Muris aranei.* Mus araneus, *la Musaraigne.*

32. *In serpentibus dictum est.* Suprà sect. 16.

33. *In Italiâ non nascitur.* Nec in Galliâ reliquâque Europâ.

34. *Artelebos vocant.* Mss. Reg. & editio princeps.

35. *Diximus resistere.* Suprà sect. 23.

36. *Per linteolum vaporentur.* Vapore aceti ferventis necentur.

37. *Pityocampis.* Pityocampa, le Puceron du pin.

38. *In auctione regiâ.* Cùm Cato vendidit bona Ptolemæi, regis Cypri. Vide Plutarchum in Catone, pag. 777.

39. *Sestertiis LX.* Sestertia sexaginta sunt Gallicæ monetæ libræ 11, 671. cum assibus aliquot.

CAP. V. 1. *Sestertiis XXX.* Gallicæ monetæ libris 5, 835. Maximo sanè pretio, cùm id videatur fuisse in singulas libras.

2. *Diximus & mellis.* Suprà Libr. XXI. sect. 44.

3. *In canis rabiosi morsu.* Veteribus omnibus remediis remedium certius in frictionibus mercurialibus reperit Cl. Dufault, medicus Burdegalensis; multisque experimentis apud Indos etiam in confirmatâ rabie comprobavit Frater du Choisel. *Nouvelle méthode sure, courte & facile, pour le traitement des personnes attaquées de la rage.* Paris. Guérin. 1756. in-12.

4. *Veneficiis ex mustelâ.* Venenis ex mustelæ felle paratis. Vide suprà sect. 16.

5. *Anatum Ponticarum.* Quæ veneno vivunt, & in antidotis valent. Vide suprà Libr. XXV. sect. 3.

CAP. VI. 1. *Muscerdas.* Muscerda, stercus muris; ut apud Festum fucerda, suis.

2. *Deo quem Myiodem.* De deo Myiode, vel Myagro,

Myagro, jam dictum supra Libr. X. sect. 40. Olympiæ apud Eleos fiebat id sacrum.

3. *In hystrice.* Hystrix, est silvestre herinaceorum genus, de quo dictum supra Libr. VIII. sect. 53. *Amplior enim, in medicis usibus, potentia est feris ejusdem generis, ut jam monuit Plinius, sect. 42.*

4. *Lacertæ quoque, ut docuimus. Supra sect. 31.*

5. *Nondum peractæ.* Nondum planè conformatæ, & sine testâ.

6. *Vulneribus tonstrinarum.* Vulneribus quæ tundendo & radendo fiunt in tonsorum officinis. Aranei telâ adhuc utimur in his aliisque id genus vulneribus.

7. *Palpebras gignere.* Pilos palpebrarum genarumve gignere.

8. *Ad crassitudinem acopi.* Acopum, est medicamentum, quo confricantur membra itinerum lassitudine vexata.

9. *Glaucomata.* Glaucoma, morbus est oculorum, mutatioque humoris crystallini in glaucum colorem, humore per exsiccationem condensato.

10. *Noctuarum est id genus.* De eo dictum supra Libr. X. sect. 33.

11. *Adeps soricis combusti.* Ita quidem libri omnes scripti & editi Videtur tamen emendandum, ut conjicere est ex sequentibus, *adeps soricis cum stibi.* Quod jam monuit eruditus Harduinus.

12. *Dicemus in metallis.* De stibi vide infra Libr. XXXIII. sect. 33.

13. *Solatis, id est, Sole correptis.* Nos nunc

dicimus, *les Coups de Soleil*; de quibus Celsus, I, 3. *Si quis exustus in Sole est, huic in balneum protinus eundum est, perfundendumque oleo corpus & caput: deinde in solium bene calidum descendendum est, tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida.* Simpliciter & utiliter nos loco solato inverfam applicamus aquæ lagenam.

14. *Mannâ unâ.* Micâ unâ.

15. *Tempestitates.* Tempestitates illas, seu commodam temperiem nos dicimus *le Bien-être.*

16. *Donec lique scat: mox quatuor digitorum.* Bene Mf. Reg. 2. & editio princeps. Vide quæ jam dixi suprâ de viperis, Cap. 4.

17. *Boæ quoque.* Festo teste, *boa serpens est aquatilis, quem Græci ὄδρον vocant; a quâ icti obturgescunt.*

18. *Aquilæ, quam diximus.* Suprâ Libr. X. sect. 3.

19. *Invidentes hominum utilitatibus.* Ad tollendas nempe oculorum albugines. Et juxta Sextum Platonium, II, 7. *Pavonis fimus potatus, caducos mirabiliter sanat.*

20. *Postea œsypo.* De œsypo dictum suprâ sect. 10.

21. *Ut in capris diximus.* Suprâ Libr. XXVIII. sect. 47.

22. *Fimum cenchridis.* Cenchris est tinnunculus. Vide suprâ Libr. X. sect. 52.

23. *Lapillos, qui vocantur cinædia.* Ita dicti sunt hi lapilli a piscibus cinædis, de quibus infrâ Libr. XXXII. sect. 53. Memorantur adhuc hi lapilli infrâ Libr. XXXVII. sect. 56.

24. *Punctu erutis.* Non ut penitus eruantur oculi, sed ut mustelæ excæcentur.

25. *Aranei muscarii.* Araneus est, qui telas capiendis muscis tendit.

26. *Strigili.* Strigil, instrumentum erat unâ parte conchatum, alterâ fistulosum, quo succi in aurem immittebantur.

27. *Millepeda.* Millepeda, animal pilosum, multis pedibus arcuatim repens, *la Chenille.* Millepeda autem, tactu se contrahens, quem oniscon Græci vocant, alii tylon, *le Cloporte.* Hæc non satis distinxit Plinius. Crediderim hîc non agi de erucâ *la Chenille*, sed de onisco tantum, *le Cloporte.*

28. *Sepa Græci vocant.* Seps illa, seu scolopendra, tardè movetur & segniter, *la Scolopendre.* Eam inter plantas tithymali deprehendit & observavit Constantinus in Lexico. Venenata est; ejusque venenum, quod morfu infigit, putredinem parit.

29. *Gryllus.* Est gryllus domesticus, *le Grillon.*

30. *Blattæ.* Blattæ ad insecta coleoptera pertinet, *la Blatte.*

31. *Alterum genus mylæcon.* Est blattæ molenaria, Linn. *la Blatte des boulangeries.*

32. *Tertium genus.* Est blattæ foetida, Linn.

IN LIBRUM XXX.

CAP. I. 1. *Zoroastrem.* Ea est magiæ natura, ut ad antiquissimas hominum ætates pertineat. At quis sit ille Zoroastres, quando prodierit incompertum. Cl. Anquetil Zoroastris cujusdam scripta edidit, quæ ad antiquissimum Zoroastrem non pertinent, nec magiam illustrant.

2. *Azonacem.* Ita Ms. Reg. 1.

3. *Apusorum*. Ita Mss. Reg. 1. & 2. In Mss. Reg. 5. & editione principe, *Apulorum*.

4. *Telmessum*. De Telmesso urbe dictum supra Libr. V. sect. 28. Ibi celeberrima fuit aruspicum disciplina, ut tradit Cicero Libr. I. de Divinat. num. 91.

5. *Thessalas matres*. Sagarum & veneficarum artibus famosas.

6. *Achillis populis*. Thessalis, quibus imperavit Achilles.

7. *E propinquo*. E Thraciâ, Orphei patriâ.

8. *A ccc. Urbis nostræ anno*. Rotundè dictum. Cœpit enim bellum Peloponnesiacum anno Urbis conditæ CCCXXIII.

9. *A Mose & Janne & Lotape ac Judæis*. Ita, & totidem literis Mss. Reg. 1. Tantùm pro Janne habet Janno. Mss. Reg. 5. habet quoque Lotape ac Judæis. In editione principe Jane & Jotapata. Patet hîc agi de Janne qui cum Mambre Mosi restitit, ut videre est apud D. Paulum Ep. II. ad Timotheum, III, 8. Malè emendatum in plurimis Plinii editionibus, Jamne & Jotape Judæis. Pessimè eruditus Harduinus in alterâ suâ editione, *etiamnum & Lotapea Judæis*. Miror quoque eum testari se in his secutum esse Mss. codices & vetustissimas editiones. Minimè autem mirum est Mosem a Plinio inter magos recenseri. Quàm ignari fuerint Romani rerum Mosaicarum ac Judaicarum demonstravi in Notis & Dissertationibus ad Tacitum Hist. V, 3.

10. *Recentior est Cypria*. Hæc sanè dicta sunt de sacerdotibus Paphiæ Veneris, cujus cultus multa magiæ veteris arcana complectebatur.

11. *Quæ priore volumine*. Suprà Libr. XXVIII. sect. 4.

12. *Tiberii Cæsaris principatus.* Maximè Tiberii Claudii principis; ut videre est apud Suetonium in Claud. Cap. 25.

CAP. II. 1. *Aliaque non patiente mundo.* Aliaque, quæ mundus pati non poterat.

2. *Cynocephaliam herbam . . . osyrites.* Est antirrhinum, de quo jam dictum supra Libr. XXV. sect. 80.

3. *Dente talpæ . . . sanari dentium dolores.* Novi, qui, suffocatâ in manu talpâ, dentium dolores sanarent.

4. *Orbitis, ut diximus.* Suprà Libr. XXIX. sect. 27.

5. *Item enhydridis.* De enhydride agitur adhuc infra Libr. XXXII. sect. 26. Ejus imaginem vide in Musivo Prænestino, *la Mosaique de Palestrine*, cum nomine ENYΔΡΙC.

6. *Is quoque vermiculus.* De eo jam dictum supra Libr. XXV. sect. 108. Labrum Veneris est dipsacus silvestris, qui differt a dipsaco sativo, *le Chardon à bonnetier, le Chardon à foulon*, quod silvestri aculei sint molles & sursum recti, sativo duri & infernè recurvi.

7. *Nam erucae brassicæ, ejus contactu.* Vel ejus redundat, vel intelligendum, quod ad erucam pertinet, dentes ejus contactu cadunt.

CAP. IV. 1. *Marathri radices.* De marathro, sive feniculo, *le Fenouil*, dixi supra Libr. VIII. sect. 41.

2. *Smeḗticâ vi.* Abstergendi & purgandi vi; a verbo σμήχω, detergo.

3. *Buprestis animal.* Proscarabæus est e genere cantharidum, *l'Enfle-bœuf*, de quo jam dictum supra Libr. XXII. sect. 36. Tantâ est acrimoniâ, ut intus exulceret,

4. *Septicâ vi*, ut supra dictum est. Libr. XIX. sect. 30.
5. *Quam herbam esse diximus*. Libr. XXII. sect. 21.
6. *Gravedinem*. Gravedo illa, Græcis κορυζα, l'Enchifrenement.
7. *Uva succo cochleæ*. Uva, la Luette, mitigatur succo cochleæ.
8. *Demptoque tantum terreno*. Demptâ tantum terrâ, quæ iis adhæret.
9. *Astypalæicas*. Astypalæicæ vocantur cochleæ ab Astypalæâ insulâ. De iis dictum supra Libr. VIII. sect. 59.
10. *Cinere hirundinis*. Cinere quoque hirundinis gargarizant & illinunt Persæ; ut videre est in Pharmacopœâ Persicâ, pag. 83.
11. *Millepedam*. De hac millepedæ, le Cloporte, medicinâ Plinius Valerianus, I, 52. *Millepedæ, numero viginti & una, tritæ in aquæ mulsæ heminâ, aut aceti, melle addito, decoquuntur, donec lentescat totum quod coquitur, & sic imponitur.*
12. *Nihil prosint*. Immo, si dentes tetigerint, eos nigrificant, teste Marcello Empirico, Cap. 35. Vide & infra Plinium, sect. 16.
13. *Surculus viticis*. De vitice dictum supra Libr. XXIV. sect. 38.
- CAP. V. 1. *Triduo non abluunt*. Ut magis vis penetret. Idem observant, qui intra digitos labri Venerei vermiculos conterunt ad sanandos dentium dolores, vel talpas in manu suffocant.
2. *Pyxide stannæ*. Condunt pyxide stannæ, ut adserventur.
3. *Tauri vocantur scarabæi terrestres*. Hi sunt

scarabæus bicornis, nec confundendi cum scarabæo lucano, *le Cerf-volant*. De quo dictum supra Libr. XI. sect. 34.

4. *In gryllis retulimus*. Suprà sect. II.

5. *Circumcidunt, ut diximus*. Ternis utrimque, a caudâ nempe & capite, digitis amputatis, ut dictum est Libr. XXIX. sect. 21.

6. *Cinerem eum dant*. Ms. Reg. 2.

7. *Melitæos vocamus*. A Melitâ, nunc *Melida*, insulâ Illyrici. Vide supra Libr. III. sect. 30.

8. *Transire morbos*. Mss. Reg. & ed. pr.

CAP. VI. 1. *Solitanae*. De his jam dictum supra Libr. IX. sect. 82.

2. *Aceratae vocantur*. Cochleæ sunt perfectæ, & penitus peractæ, ἀκήρατοι. Alias nudas & nondum peractas vidimus supra Libr. XXIX. sect. 36.

3. *Pecudis lien*. Ovis lien.

4. *Teñtorio includi*. In pariete cubiculi dormitorii, calce vel gypso, includi.

5. *Araneus . . . qui lycos vocatur*. Est araneus lupus, de quo dictum supra Libr. XI. sect. 28. At cum Dioscorides II, 68. dicat *araneum, quem raptorem, aut lupum, alii nominant, cum emplastro subactum, ἀράχνη . . . συμμαλαχθεϊσα σπληνίω*, & linteolo inductum, ac fronti, aut temporibus, impositum, tertianas febres sanare. Fortè Plinius σπλήνιον, emplastrum, pro splene lieneve, *la Rate*, accepit. Certè, ut multis experimentis certum scio, araneis magna vis est adversus tertianas aliasque febres. Immo & gravissimæ febres pilulis telæ araneæ mirum in modum sunt sanatæ.

6. *In aversum a suffragine.* In partem aver-
sam a flexu pedum.

7. *Quam oniscon appellavimus.* Suprà Libr.
XXIX. sect. 39.

CAP. VII. 1. *Cochleæ nudæ*, de quibus dixi-
mus. Suprà Libr. XXIX. sect. 36.

2. *Ex eo cinere.* Mss. Reg. 1. & 2.

3. *Infundunt.* Clystere immittunt.

4. *Si major fluxio sit.* Si sit major alvi
fluxus.

5. *Illinitur.* Ventri illinitur.

6. *In quo apes sint immortalæ.* Mss. Reg. 1.
& 2.

7. *Vitium ileos.* Morbus est intestini tenuio-
ris; de quo vide Celsum II, 8. & IV, 13. *la*
Colique de miserere, *la Passion Iliaque.*

8. *Diximus in suspiriosis.* Suprà sect. 16.

9. *Ossifragi.* De ossifrago dictum Libr. X.
sect. 8.

10. *Ave galeritâ.* Galeritâ avis, *l'Alouette hu-*
pée, de quâ vide suprà Libr. X. sect. 70. XI.
sect. 44.

11. *Aquam per pedes fluentem.* Si quis sustineat
bibere aquam, quâ pedes laverit.

CAP. VIII. 1. *Illinere ventrem.* Mss. Reg. 1.
& 2.

2. *Pompholygem.* De Pompholyge vide infrâ
Libr. XXXIV. sect. 33.

3. *Procidentia ibi.* In ano federe procidentia.

4. *Et anserinus.* Videtur emendandum, *adeps*
anserinus; ut jam monuit eruditus Harduinus.
Sic enim Marcellus Empiricus, Cap. 31. *Adeps*
anserinus cum ejus cerebro, & *æsypo*, & *alumi-*
ne subigitur, & *imponitur ani omnibus causis*.

5. *In Africâ gigni diximus.* Suprà sect. 19. & Libr. XXIX. sect. 36.

6. *Tricesimo die resolvunt.* Mss. Reg. & editio princeps.

CAP. IX. 1. *Illinere malunt.* Mss. Reg. & editio princeps.

2. *Incussos articulos.* Ita libri omnes scripti & editi. Sic quoque Marcellus Empiricus, Cap. 34. & Q. Serenus, Cap. 54. At Plinius Valerianus *incisos* legisse videtur. *Incisos articulos aranei tela commodissimè curat.* Viget adhuc passim ille usus.

3. *Præsentaneum est sebum.* Ms. Reg. 2. & editio princeps.

CAP. X. 1. *Quoniam uni.* Vide suprà Libr. XI. sect. 40.

2. *Nocturnis diis Faunisque.* De iis jam dixi suprà Libr. XXV. sect. 10.

3. *Ut in anginis diximus.* Suprà sect. 12.

4. *Stellionum nomen . . . in maledictum translatum.* Inde dictum stellionatus crimen. Fraus omnis, omnis impostura, quæ proprium nomen non habet, stellionatus appellatur.

5. *In loricis ostiorum fenestrarumque.* Loricæ sunt projecturæ in summis ostiorum fenestrarumque partibus, *les Corniches.*

6. *Circumdatum torporem.* Torporem, seu senectam.

7. *Coriandro, ut diximus.* Suprà Libr. XXIX. sect. 16.

8. *Detur incipienti.* Incipienti, id est, cum morbus incipit.

9. *In cerino calyce.* Ita Mss. Reg. & editio princeps.

CAP. XI. 1. *Avis icterus.* De ave ictero, *le Lorient*, dictum supra Libr. X. sect. 50.

2. *Scarabæum qui pilulas volvit.* Ita Ms. Reg. 1. & editio princeps. Hic scarabæus, *le petit Pillulaire.* De scarabæo, qui ingentes pilas volvit, *le grand Pillulaire*, dictum supra Libr. XI. sect. 34.

3. *Solis operum similitudinem.* Ægyptii scarabæos venerabantur, ut symbolum Solis, qui omnia generat fovetque suo cursu ab Oriente in Occidentem; quodque genus illud expers feminae in fimi pilam semen emittat, eamque viginti & octo dierum spatio volutet & concalefaciat, ut fetum procreet. Quâ de re vide Horum Apollinem, Libr. I. Hierogl. 10. & maxime Ælianum, X, 15. Scarabæi in gemmis aliisque Ægyptiorum monumentis sæpe occurrunt. Insignem scarabæum ex ophite lapide exhibet Cl. Gori, Inscript. antiq. Tab. XVII. & pag. LXXXI.

4. *Alium... cui sunt cornicula reflexa.* Hic est lucanus, *le Cerf-volant*; de quo dictum supra Libr. XI. sect. 34.

5. *Qui vocatur fullo, albis guttis.* Hic est scarabæus nigrocærulescens, maculis albis sparsis, ordine macularum abdominalium longitudinali, Geoffroi. *le Drap-mortuaire.*

6. *Post tertium circuitum.* Post tertium febris circuitum, *le troisieme Accès*, id humo condat.

7. *Phryganion.* Quod sit illud animal magis adhuc incompertum, quàm Plinii ætate. Nunc quidem inter insecta novimus phryganeam, *la Frigane.* Sed an eadem, ac phryganion?

8. *Tela cum ipso.* Tela cum ipso araneo luppo, de quo jam dixi supra.

CAP. XII. 1. *Toto eo anno careat.* Qui gryllum in manibus conterit, ut igni sacro medeatur, debet id præstare, antequam incipiat ignis sacri vitium morbusve; debet & ipse toto anno carere eo morbo.

2. *In melle sunt mortuæ.* Mss. Reg. 1. & 2.

3. *Digito medico.* Digitus est minimo proximus, dictus quoque auricularis, quòd eo mundentur aures. Plinius tamen Valerianus, III, 32. ait, *digito minimo.*

CAP. XIII. 1. *Sub testō calefacto.* Testum, vas fuit æreum, sub quo panis aliaque coquebantur. Adhuc memoratur infra Libr. XXXII. sect. 26.

2. *Simblio melle.* Mel Siciliae dicebatur simblum, teste Dioscoride, II, 101.

3. *Herpes quoque animal.* Est reptile animal; sed quod propriè sit, ignotum. Et, ut puto, incertæ virtutis, ut & nominis.

4. *Antonius quidem.* Antonius Musa, Augusti medicus, sæpe supra memoratus.

5. *Mollita rosaceo.* Rosaceo oleo.

6. *Quæ subinde suffundantur.* Quæ subinde oleo suffundantur; ut habet Plinius Valerianus, III, 48.

7. *Donec formicet cutis.* Donec pruriat cutis.

8. *Et vel caput ejus.* Mss. Reg. & editio princeps.

CAP. XIV. 1. *In capris retulimus.* Suprà Libr. XXIII. sect. 77.

2. *Lac devocant.* Sic Ms. Reg. 1. & editio princeps. In Ms. Reg. 2. *evocant.*

3. *Si sine adservatâ transcenderit.* Ita fuisse emendandum patet ex Mss. Reg. 1. & 2. in qui-

bus legitur, *sine adservatâ*. Malè editio princeps aliæque, *si non asservatam*.

4. *Innoxium fieri*. Mss. Reg. 1. & 2. & editio princeps.

5. *Quòd si redeuntem*. Si araneum in sublimè redeuntem.

6. *Abortum per os faciat*. De hac vulgè fabulâ jam dictum suprâ Libr. X. sect. 15.

7. *Stantes mammas*. Perpetuò stant, nec tument.

CAP. XV. 1. *Siriasis*. Est inflammatio membranarum cerebri.

2. *Ramex infantium*. Mss. Reg. 1. & 2. & editio princeps.

3. *Bovæ capiti*. Ita Mss. Reg. 1. & 2. De bovâ, vel boâ, serpente jam dictum suprâ Libr. XXIX. sect. 38.

4. *Verminatio*. Vermibus confestim liberatur jumentum.

5. *Ebriosis ova noctuæ*. Juxta Apollonîum, ova noctuæ mediocriter elixata infanti, antequam vinum degustaverit, comedenda danda sunt, ut vini averfatio fiat. Philostrat. Vit. Apollon. III, 40.

6. *Horus Assyriorum rex*. In Ms. Reg. 1. *Orus Massiorum rex*.

7. *Gromphenam avem*. Ignota hæc avis.

8. *Ophion*. De hoc animali ignoto jam dictum suprâ Libr. XXVIII. sect. 42.

9. *Subjugum*. Ita Ms. Reg. 2. Ignotum quoque animal. In Ms. Reg. 1. *siruluggum*. In editione principe, *sirulugum*.

10. *Biuros vocari*. Ita Ms. Reg. 2. In editione principe, *binturos*. Videtur esse vermis

qui vites erodit. Id sanè tradiderat Cicero in libro *de Admirandis*, qui periere.

CAP. XVI. 1. *Muliones*. Mulis infesti. Vide suprà Libr. XI. sect. 19.

2. *Arborarii pici*. Pici Martii, de quo dictum suprà Libr. X. sect. 20.

3. *Ungulas tantùm mularum*. Eadem habet de Stygis aquâ Vitruvius, VIII, 3. Hanc quoque aquam in Arcadiâ e rupe stillantem, omnibus animalibus lethalem, quæ nullo vase contineri potest, memorat Pausanias, VIII, 18.

4. *Magnâ Aristotelis infamiâ*. Magna certè infamia, si id Aristoteles suaserit. Sed fortè id tantùm ex ejus libris haustum. Nec illâ aquâ, sed vino & ebrietate periisse Alexander Magnus vulgò fertur. De aquâ Stygis, quæ pota illico necat, dictum suprà Libr. II, sect. 106.

IN LIBRUM XXXI.

CAP. II. 1. *In Tarbellis*. In Tarbellis erant aquæ Augustæ, nunc *Aqs*, vel *Dax*. Ibi adhuc manent Romanæ magnificentiæ rudera.

2. *In Baiano sinu*. Exstant adhuc fontium illorum plurimi, licet multi terræ motibus perierint, aut disturbati fuerint. Celebrantur *bagni di Cantarelli*, *di Fontana*, *di S. Maria dell' Architello*, *da Colombi selvaggi*, &c.

3. *Posidianæ*. Ita dictæ a Poside spadone, Claudii imperatoris liberto, de quo Suetonius in Claud. Cap. 28. & Juvenalis, Satyr. XIV, 91.

Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.

4. *Oculis verò Ciceronianæ.* Exstant quoque oculis & colicis torminibus saluberrimæ. De iis, & ruderibus Academiae Ciceronis, quæ ibi manent, vide Cl. Hamilton, *Phlegræi campi*, Tab. XXVI.

5. *Quam & vocabat M. Cicero.* Bene Cl. Rezzonicus. In Ms. Reg. 1. *quam evocabat M. Cicero.*

6. *Et in toto orbe.* Bene editio princeps, & Cl. Rezzonicus.

7. *Ministeriorum haustus.* Bene Mss. Reg. 1. & 2. Frustra Cl. Rezzonicus e Ms. Ambrosian. 2. emendat, *ministrorum.* Ut noscatur quantum ministeria, id est ministri, ex illâ majestate ingenii hauserint.

8. *Sinuëssanæ aquæ.* Ubi nunc turris dicta *Torre de Bagni*, juxta ædem appellatam *S. Maria a caudara.*

9. *In Ænariâ insulâ.* Nunc, *l'isle d'Ischiæ*; ubi adhuc fons ille, & alii multi.

10. *Acidula, ab Teano Sidicino.* Celebratissimæ illæ aquæ ad discutiendos calculos, juxta castellum *Francolici.*

11. *Juxta Romam Albulæ aquæ.* Nunc *Bagni di Tivoli.*

12. *Cutiliæ in Sabinis.* De iis jam supra Lib. III. sect. 17.

13. *Suctu quodam.* Videntur quodam modo fugere & mordere corpora.

14. *Thespiarum fons.* De Thespiis vide Lib. IV. sect. 12.

15. *Flumen Elatum.* Ita libri scripti & editi. At Pausanias VIII, 36. amnem illum vocat *Ἐλαφρον.* Rivus est potius, quàm amnis, nec perennis.

16. *Tungri civitas Gallia.* Exstat hodieque fons ille extra muros urbis Tungrorum, *Tongres*, qualis hîc describitur, sed neglectior. Errant qui aquas Arduennates, sive Spadanas, *les Eaux de Spa*, huc referunt; in quibus bullæ quidem, sed non ut in Tungrensi stellantes videntur. Quod eruditus Langius observavit.

17. *In Estiæotide.* Ita Ms. Reg. 1. & editio princeps. Memorat quoque Strabo Libr. IX. pag. 437. *Ἐστιαιῶτιν*. Pars est Thessaliæ, ita dicta ab Estiæis, qui eò commigrarunt.

18. *Aleos amnis.* De illo suprâ Libr. V. sect. 31.

19. *Inde nominibus inventis.* Alter fons *Μνημοσύνης*, Memoriae, alter *Λήθης*, Oblivionis dicitur. De his fontibus antroque & deo Trophonio vide Pausaniam, IX, 39.

20. *Rivus fluit Nus.* Ita appellatus a *νῆς*, mens.

21. *Ex Clitorio lacu.* In Arcadiâ. Vide & Vitruvium VIII, 3.

22. *Fontibus iis quos diximus.* Suprâ Libr. II. sect. 106.

23. *Mucianus Andri.* Id jam dictum suprâ ibid.

24. *In Scotusâ.* Juxta Scotufam, in Thessaliâ. Malè Ms. Reg. 2. *Scotusei*.

25. *In Trogodytis.* Ita libri scripti & editi. Ab Isidoro, Origin. XIII, 13. appellantur *Trogodytæ*.

26. *Clæon & Gelon.* Duo illi fontes ita dicti, alter a *κλαίειν*, flere, alter a *γελᾶν*, ridere.

27. *Mattiaci in Germaniâ fontes.* Fervent adhuc illi fontes in ditone Moguntinâ, & dicuntur *Wysbad.*

28. *Fide carere ex his aliqua.* Immo plura & mirabiliora nos docuere susceptæ per quatuor mundi partes peregrinationes, & comperta passim aquarum miracula; quæ vide apud Cl. Varenium, *Géographie générale*, Tom. II. pag. 345.

29. *Inter initia operis.* Suprà Libr. I I. sect. 106.

30. *In unum alveum.* Bene Mss. Reg. & editio princeps. Frustra emendat Cl. Rezzonicus, *in unum amnem.* De horum fontium situ vide suprà Libr. IV. sect. 34.

31. *Siccantur duodecies diebus, aliquando vicies.* Ita Mss. Reg. 1. Mediolan. editio princeps, & Cl. Rezzonicus. Non ita dissimilis in Britannia fons *Lay-Well*, prope *Torbay*, in *Devonshire*. Sæpissime singulis horis fluit & refluxit, altitudine quinque sexve pollicum, aliquando sedecies, aut vicies, ut videre est in *Transact. Philosoph.* num. 104. pag. 909.

32. *Dirum est.* Diri est ominis.

33. *Legato post praturam.* Ita libri scripti & editi. Crediderim tamen Plinium scripsisse, *legato prætorio.* De Lartio Licinio jam dictum suprà Libr. XIX. sect. II.

34. *Post septem dies accidit.* Ita Mss. Reg. Mediolan. & editio princeps. Eruditus Harduinus ex uno Ms. Chiff. emendavit, *post septem enim dies occidit.*

35. *Rivus sabbatis omnibus siccatur.* Sabbaticus est fluvius, de quo contra Josephus, Bell.

Jud. VII, 24. ait eum sex diebus siccare, die autem septimo fluere.

36. *Necat, ut diximus.* Suprà Libr. II. sect. 106. & XXX. sect. 53.

37. *Ad Nonacrin Arcadiæ.* Vide suprà Libr. II. sect. 106.

38. *Profluit, ut indicavimus.* Libr. IV. sect. 15.

39. *Siliqua silvestris.* Arbor illa est siliquastrum, seu siliqua silvestris, rotundifolia, C. B. *le Guainier, l'Arbre de Judas, l'Arbre de Judée.*

40. *In Scyretico metallo.* In metallicis fodinis insulæ Scyri, nunc *Skiro.*

41. *Pendientes in ipsis cameris.* Talia antra multa nunc novimus, quorum celeberrima, *les Grottes d'Antiparos.* Apud nos in Burgundiâ, *les Grottes d'Arcy.*

CAP. III. 1. *Nullò pæne momento ponderis.* Illud momentum nunc diligentissimè & accuratissimè deprehendimus. Nec aquas tantùm, sed ipsum aerem pendimus; & aquarum aerisque diversum pondus per diversa anni, maximè æstatis & hiemis, tempora.

2. *Rore nimio scabiem.* Scabies illa, est ipsa rubigo, frugibus vineisque exitiosissima; de quâ dictum Libr. XVII. sect. 44. & XVIII. sect. 48.

3. *Pruinâ uredinem.* Pruina, *la Gelée blanche;* cujus ut & nivis cognatæ sunt causæ.

4. *Aut animalium.* Vermiculorum, qui ibi nascuntur & putrescunt.

5. *Tanias in fonte.* In Ms. Reg. 1. *tæneas.* In editione principe aliisque, *tineas.* Tæniæ sunt vermiculi.

6. *Si vasa ærea inficiunt.* Pessimum aquæ signum, si perfusa aqua nitidissimum vas æneum

ærugine inficit. Contrà verò, si maculam non fecerit, optima erit, teste Vitruvio, VIII, 5.

7. *Ne manus pendeant, depositisque in humum.* Crediderim aliter distinguendum, & legendum: *quin & haustam vasis, depositisque, ne manus pendeant, in humum, tepescere adfirmant.*

8. *Illa e vado.* In Ms. Reg. I. *ille vado.* Emendandum fuit, *illa e vado*; non, *illa vado*, ut habent recentiores editiones.

9. *Et Virginem adduxit.* Aquam Virginem adhuc habet Roma in egregio fonte *Trevi*. Immo *Marciâ* pridem interceptâ, *Virgo* tactu pariter atque haustu nunc præcellit: non solum publicis, sed privatis etiam civium usibus totam per urbem distributa.

10. *In Cretâ Albi montes.* De his supra Libr. IV. sect. 20.

11. *Aut herba, de qua dictum est.* Herba *bechion*, quæ & *tussilago*, *le Pas d'âne*, ut dictum est supra Libr. XXVI. sect. 16.

12. *Tantò efficaciore.* Si locus igne prius excoquatur, tantò efficacius est vasorum, de quibus modò dictum est, argumentum.

13. *Coria terræ.* Coria illa, *les Couches, les Lits de terre.*

14. *Colando continet sordes.* Dum aqua per *tofum, le Tuf*, colatur, sordes continentur.

15. *Sabulum masculum.* Est sabulum durius & compactioris naturæ: alterum est mollius.

16. *Carbunculus.* Carbunculus est genus arenæ, quæ nimio Solis ardore & subterraneorum ignium vi carbonis colorem induit. Multus est in *Etruriâ* aliisque *Italiæ* locis, & sæpissimè *volcanicas terras* arguit. Vide *Vitruvium*, II, 6. & *Plinium* supra Libr. XVII. sect. 3.

17. *Fodiunt æstuaria.* Æstuaria illa dicimus, *des Events.*

18. *Circa Arcturum.* Circa Arcturi exortum, qui fere accidit Idibus Septembris, seu die 13. Septembris; ut dictum est suprâ Libr. XVIII. sect. 74.

CAP. IV. 1. *Quatriduo eo.* Romani ab exortu Arcturi ad æquinoctium Autumni numerabant aliquando dies XIV. ut videre est apud Plinium, XI, 16. Aliquando dies XI. ut habet idem Plinius, II. sect. 47. Inde illud quatriduum.

2. *Qualesque herbarum, quas lavant.* Si herbaræ illæ putruerint. Nam si non putruere, aquas non inficiunt, ut observavit Cl. de Jussieu.

3. *Oppido, quod vocabatur Arcadia.* Nunc cœnobium est, dictum quoque *Arcadi.* Videtur illa siccitas contigisse nimio æstu, quod & sæpe aliàs contigit.

CAP. V. 1. *Aquas graviores post brumam fieri.* Id certissimum est; experientiâ & ponderibus compertum.

CAP. VI. 1. *Fictilibus tubis.* Fictiles tubos, *les Tuyaux de terre*, salubriores esse fistulis plumbeis, *les Tuyaux de plomb*, quod e plumbo cerussa nascatur, corporibus humanis nocens, docet Vitruvius VIII, 7.

2. *Lævigatis.* Illitis.

3. *Sicilici minimum erit.* Declivitas aquæductûs, a fonte usque in centenos pedes, ut minimum debet esse sicilici, hoc est quartæ partis uncix, seu pollicis, ut vulgò loquimur. Hæc est minima & sufficiens tamen declivitas aquæductuum. Majorem, toto nempe semipede, ad-

signat Vitruvius, VIII, 7. *ne minùs in centenos pedes semipede.* Plinianam ferme rationem sequuntur hac ætate libratores, qui in pedes quadringenos pollice tantùm uno aquæductum deprimunt. Paulo minor est Pliniana mensura, cùm pes Romanus habuerit solùm pedis nostri Parisiensis pollices 10, lineas 10 & paulò ampliùs.

4. *In binos actus lumina.* Bini actus sunt pedes Romani CCXL, ut dictum est suprâ Libr. XVIII. sect. 3. Lumina illa dicimus, *des Jours, des Regards.*

5. *Si quinariæ erunt.* Observandum est nos æstimare fistularum diametrum: Romanos verò æstimasse circuitum. Quinariæ ergo fistulæ, octonariæ, denariæve, sunt quæ ante curvaturam, seu in circuitu habent quinque, octo, vel decem digitos latitudinis. Pes autem Romanus dividebatur in 12. uncias, vel in 16. digitos.

6. *Item castella.* Hæc nos quoque dicimus, *des Châteaux d'eau.*

7. *Homerum calidorum fontium.* Homerus tamen Iliad. χ'. vers. 147. memorat duos Scamandri fontes, quorum alter vel æstate est grandini & nivi frigidæ similis; alter tepidus, cujus & fumus velut ignis ardentis est.

8. *Lavari calidâ.* Vide suprâ Libr. XXV. sect. 38.

9. *Sulphurata nervis, aluminata paralyticis.* Sulphuratæ aquæ adhuc commendantur infrâ Libr. XXXV. sect. 50. In insulâ Melo & vitriolicis aquis ferventibus sanantur paralytici, teste Cl. Galland, *Voyage Ms. du Levant.*

10. *Qualis Cutilia.* De quâ vide suprâ Libr. III. sect. 17.

11. *Frigidâ dulcedine.* Ms. Reg. 2. & ed. pr.
 12. *Utuntur & cæno.* Utimur & nos ; celebratumque cœnum S. Amandi, *les Boues de Saint Amand*, in Belgio Gallico.
 13. *Phthisi affectis, ut diximus.* Libr. XXIV. sect. 19. & XXVIII. sect. 14.
 14. *Sanguinem exscreantibus.* Ms. Dalecamp. & editio princeps.
 15. *Annæum Gallionem.* Senecæ fratrem, consulem suffectum ; de quo vide Tacitum Annal. XV, 73.
 16. *Instabili volutatione.* Instabili navis agitatione.
 17. *Infusa crebro ic̄tu.* Illam aquarum illisionem, quâ patientes partes percutiuntur, nos dicimus, *la Douche.*
 18. *Articularibus morbis.* Mss. Reg. 1. 3. & editio princeps.
 19. *Ut ad vomitiones revocent.* Ut sit vomitus facilior, qui tenesmi causas effundat.
 20. *Ptyade aspide.* De eâ jam dictum suprâ Libr. XXVIII. sect. 18.
 21. *Mammæ sororiantes.* Ex Festo, *sororiare mammæ dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, ut fraterculare puerorum.* Laudat Plautum in Frivolariâ.
 22. *Luxata corpora.* Viget adhuc apud nos ille usus.
 23. *Muscus, qui in aquâ fuerit.* Muscus est marinus, seu corallina. Tournefort. *la Coralline.* Novis experimentis compertum est eum esse optimum adversus infantium vermes.
- CAP. VII. I. *Sal omnis.* De sale terrestri, marino, & coctili eruditè scripsit Cl. de Francheville, *Mémoires de l'Académie de Berlin*, anno 1760.

2. *Cæditur renascens.* Tales sunt montes salis in Hispaniâ, maximè in Catalauniâ, pagoque *Cardona*. Vide Cl. Bowles, *Histoire naturelle d'Espagne*, pag. 406.

3. *Effoditur & e terrâ.* Sic effoditur in Poloniâ ad *Wiliscam*, in Hungariâ prope *Eperias*, in Hispaniâ prope *Cordubam*.

4. *Hammoniaco & ipso.* Sal *Hammoniacum*, le *Sel Ammoniac*.

5. *Alumini, quod schiston.* Nobis, *la Pierre d'Alun*.

6. *Egelesta.* Sic Ms. Reg. 2. & suprâ Libr. III. sect. 4. dicti sunt *Egelestani*. *Egelesta*, nunc *Uniesta*, prope *Cuença*, in novâ Castiliâ.

7. *Omnis locus... sterilis est.* In Hispaniâ tamen montibusque *Tarraconensibus* cæditur sal, & vertex illorum montium celsissimis pinis vestitur. In his quoque montibus coluntur vineæ optimi vini feraces.

8. *Et in totum sponte nascens.* Et hæc sunt nativi salis, le *Sel-gemme*, genera.

9. *Africa circa Uticam.* Acervi illi salis magis pertinere videntur ad terrenum nativumque salem, quàm ad factitium.

10. *Sine riguis.* Solâ marinâ adfusâ in salinas, sine dulcis aquæ riguis.

11. *Nilo succosum.* Nili aquis nitrosis irrigatum solum; ut rectè explicat eruditus *Harduinus*.

12. *Prima densatio Babylone.* Aqua, e puteis *Babylone* hausta, & in salinas ingesta, primum densatur in liquidum bitumen.

13. *Aquam ex fonte.* Talis quoque fons in provinciâ nostrâ *Nivernensi*, agroque *Vezeliacensi*, *Vezelay*.

14. *Ardentibus lignis.* De illo sale, qui combustâ quercu aliisque lignis paratur, vide & Tacitum, Annal. XIII, 57.

15. *Muriam appellant.* Muria, *la Saumure.*

16. *E mænîs.* E mænîs sale conditis. De mænîs dictum suprâ Libr. IX. sect. 42. & aliàs sæpe.

17. *In laterculis.* Explicat eruditus Harduinus, in tubulis e laterculo coctili, aut simili vase. Fortè tamen laterculi illi dicendi sunt, *en Tablettes.* Lateres enim & laterculos dixere antiqui, quod in quatuor tabulis inclusum.

18. *Tragasæus* Tragasa in Troade, haud procul Hamaxisto de quo suprâ Libr. V. sect. 33. De Acantho, Macedoniae oppido, vide Libr. IV, sect. 17.

19. *Nec ullius spuma.* Nec ullius salis spuma, ramentumve, nec tenuis tenuesque in partes attritus sal crepitat.

20. *Ita ut sit peculiaris.* Ita ut inter innumera condimenta vis salis peculiariter sentiatur. Idcirco sal ille conditus odoribus in gari esu in primis quæritur.

21. *Ad voluptatem animi.* Mss. Reg. 1. & 3.

22. *Favillam salis.* Favilla illa salis, quæ & flos dicebatur, differt a flore salis, *le Sel blanc*, de quo suprâ dictum est. Videtur hæc favilla salis fuisse admixta nitro, *le Natron*; unde & peculiaris est Ægypto, & nostris pharmacopolis ignota.

23. *Fontibus tamen quibusdam.* Dioscorides V 129. ait, stagnis quibusdam, *λίμναις τισί.*

24. *Canitia in vasis.* Hujusce floris salis pars summa in vasis cana est; media humidior, ut modò suprâ dictum est.

25. *Pisce*, quem *Græci garon*. Piscis ille nobis dicitur *smaris*, *le Gerres*, ex quo olim conficiebatur *garum*. Est in mari mediterraneo.

CAP. VIII. 1. *E scombro*. *Scomber*, *le Maquereau*. Nunc autem in maritimis Provinciæ, *au Martigues*, *ovis piscium*, *le Mulet & le Loup*, paratur *garum*, quod dicitur *la Poutargue*.

2. *Carthaginis Spartariæ*. De eo Carthaginis cognomine vide supra *Libr. XIX. sect. 7*. De cetariis vide *Libr. IX. sect. 19*.

3. *Sociorum id appellatur*. Fortè quòd *sociatim*, ut exquisito cibo, vescerentur. Sic certè *Scholiastes Galeni*, in *Libr. κατὰ τόπους*.

4. *Singulis millibus nummum*. Gallicæ monetæ *libris 194*.

5. *Bæticiæque Carteia*. In freto Herculeo, *le détroit de Gibraltar*, prope *Gibraltar*, Occidentem versus, ferme ubi nunc *S. Roque*, fuit *Carteia*.

6. *Ad nihil aliud utiles*. Nunc *scombri* nobis sunt in optimis cibis. *Burdegalæ* tamen adhuc viles habentur.

7. *Antipolis*. Nunc *Antibe*.

8. *Vitium hujus est alex*. *Alex* est nondum perfecta, nec bene colata *gari fæx*. Inde optimum *garum* a *Martiale*, *Epigramm. XIII, 102*. dicitur *fæcosum garum*.

9. *Apuam nostri*. *Apua*, *l'Anchois*, neque e *pluviâ*, neque e *spumâ maris* nascitur. Vide supra *Libr. IX. sect. 74*.

10. *Forojulienses*. Nunc *Fréjus*.

11. *Lupum appellant*. Hodieque *piscis lupi*, *le Loup*, paratur *garum*, ut modò supra dixi.

12. *E piscibus squamâ carentibus*. Patet ex his *sacris*, quorum nullum exstat vestigium in *sacris*

sacris Libris, Judaicos ritus ad multa superstitiosa declinasse. Ex Levitic. XI, 10. abominabiles sunt Judæis & immundi pisces qui pinnulas & squamas non habent.

13. *Multorum jocinera.* Inde videre est initia garorum nostrorum, *la Poutargue, le Caviat, &c.* In Ægypto lacuque *Menzale* garum paratur cum ovis piscis *Bouri*, id est, *le Muge*.

14. *Batuerentur antè ictuum ulcera.* Ita Ms. Reg. 3. In Ms. Reg. 5. *batuerentur ante ictum ulcera.* In Mss. Reg. 1. & 2. *battuerentur ante hic ulcera.* Emendavit eruditus Harduinus, *paverentur ante hic ulcera.* At nimis audacter. Videtur tantum priscos, antequam salem morsibus crocodilorum imponerent, ulcera, morsibus facta, antè batuisse. Ex illo autem verbo oritur verbum nostrum *Battere*.

CAP. X. I. *Nitri natura.* Nitrum apud Plinium Romanosque scriptores duo diversa significat: nitrum, *le Nitre à base d'Alkali fixe, le Salpêtre;* & nitrum. *le Natron, le Nitre à base terreuse.* Quæ diligenter sunt distinguenda, & facile possunt distingui, cum hic Plinii locus legitur.

2. *Nec quemquam Theophrasto.* In libris sanè Theophrasti deperditis.

3. *Canescentibus siccitate convallibus.* Nullæ sunt terræ, quæ magis nitro, *le Salpêtre,* canescant, quàm Tartaria Sinensis & Boreales Sinarum imperii partes.

4. *Quercu crematâ.* Vulgò ex arboribus plantisque sal, non nitrum, *le Salpêtre,* conficitur; & quod hîc habet Plinius videtur esse *la Potasse.* Est tamen in Arabiâ arbor nomine *Garrab,* quâ multum nitri conficitur, teste Avicen-

na, Libr. II. Tract. II. Cap. 326. Idem testatur Cl. Rauwolf, qui in urbe *Idi* ad Euphratem vidit in molendinis pulveris pyrii illud usurpari. Vide & Cl. Schelhamer, de Nitro, Cap. 5.

5. *Aquæ verò nitrosæ.* Aquæ illæ infectæ sunt natro, *le Natron.*

6. *In Litis Macedonia.* Est *Lete*, oppidum Macedoniae, de quo dictum supra Libr. IV, 17. Et fortè emendandum, *in Lete Macedonia.* Corruptè enim Mss. Reg. *inclitis Macedonia.*

7. *Chalastricum.* Ita dictum ab oppido *Chalastra* in orâ sinûs Macedonici. Vide supra Libr. IV, 10.

8. *In Ægypto autem.* Nitrum quoque illud, *le Natron.* Et ibi celeberrimæ nitrariæ.

9. *Si etiam imbres adfuerunt.* Mss. Reg. 1. & 5.

10. *In lacu Ascanio.* In Bithyniâ.

11. *Circa Chalcida.* Chalcis, nunc *Négrepont.*

12. *Spuma melior.* Spuma illa nitri, dicta Græcis *ἀφρόδες νίτρες*, *l'Ecume de nitre*, differt ab aphronitro, *ἀφρόνιτρον*, *l'Aphronitre*, *le Nitre écumeux.* Hoc utebantur balneatores, illo medicina. Ea quoque distinguunt Dioscorides, Galenus, alique.

13. *Ad inficiendas purpuras tincturasque omnes.* Indi nitrosas puteorum aquas tingendis suis telis adhuc adhibent.

14. *Magnus & vitro usus.* Vide infra Libr. XXXVI. sect. 65. & 66. Nos verò nunc kali, *la Soude*, utimur.

15. *Nitrariæ Ægypti.* Nunc adhuc visuntur celeberrimæ nitrariæ inter lacus Mareotim & Moerim. Ibi nitrariæ, *le Lac de Natron.* Ibi quoque *Nitria Setis*, *le Désert de Nitrie*, vel de

S. *Macaire*. Alium nitrarium lacum vidit P. Siculard prope *Damanehour*, quem nemo veterum & recentiorum memoravit. *Lettres Mss. du P. Siculard*.

16. *Quæ inveterari volunt*. Nitro, *le Natron*, ut fale utebantur ad condienda quæ inveterata adservataque volebant. Eo quoque condita defunctorum corpora, ut habet Herodotus, Libr. II. in *Euterpe*, pag. 121.

17. *Acervorum fermento gigni*. Ita Mss. Reg. 2. & editio princeps. In Mss. Reg. 1. & 5. *operimentorum*. Sed idem est sensus *acervorum*, aut *operimentorum*. Iis adhuc paratur tum nitrum nativum, *le Salpêtre naturel*, tum factitium, *le Salpêtre artificiel*. De utroque vide Cl. Bowles, *Introduction à l'Histoire naturelle d'Espagne*, pag. 67. & seqq.

18. *In speluncis mollibus*. Ita Mss. Reg. 2. 3. & 5. Talis est spelunca in urbe *Weinssensfelds* in Saxoniâ. Aphronitrum ibi destillat, & in tantam duritiem concrefcit, ut resistat malleo.

19. *Collicas vocant*. In Mss. Reg. 1. 2. 3. 5. & editione principe, *colligas*. Recentiores editiones, *colycas*. Meliùs, *collicas*. Sunt enim *κόλλικες*, panes rotundi.

20. *Igni non exsilit nitrum*. Ita libri omnes scripti & editi. At cum nitrum, *le Salpêtre*, igni exsiliat, particulam negativam demptam vellet eruditus Michaelis, *Commentationes de nitro Plinii*, num. 21.

21. *Nihil gignit, aut alit*. Certè in deserto Nitriæ, ubi natrum, *le Natron*, locus est sterilissimus. Arbores nullæ sunt, nulla arbuſta, nullæ præter kali, *la Soude*, herbæ, teste Cl.

Huntingtono, Epist. pag. 69. Sterilis quoque est in imperio Mogolico provincia *Asner*, ubi tanta est nitri, *le Salpêtre*, copia, ut proventus annuus sit singulis annis librarum 32, aut 33,000,000. Vide Cl. Schelhamer, Cap. 7.

22. *Tantum algæ.* Maria, quæ tot animalia gignunt, ex herbis verò tantum algas.

23. *Majorem esse acrimoniam nitri.* Insigne acrimoniam nitri, *le Natron*, exemplum videre est in juvene filio S. Carionis, qui in *Setâ*, le Desert de Nitrie, nudus descendit in lacum nitrosus, corpusque narium tenuis mersit, tinxitque ad integram pæne horam, quoad omnem corporis florentis elegantiam corrumperet, formamque penitus deleteret, atque in senilem speciem degeneraret. Patricius apud Raderum, *Viridarium sanctorum*, Part. III. pag. 245.

24. *In nitrariis non lippiunt.* Certè & nostri nitrarii, *les Salpêtriers*, non lippiunt, nec unquam oculorum morbis laborant. Vide Cl. Ramazzini, *Essai sur les maladies des Artisans*, Cap. I. pag. 24.

25. *Ad raphanos Ægyptio.* Immo, teste Huntingtono, Epist. pag. 68. carnem insulsam natro, *le Natron*, gratam reddunt Ægyptii. Et apud nos quidam nitro, *le Salpêtre*, carnes condiunt.

26. *Exulcerat.* Id videtur intelligendum de nitro, *la Potasse*, quod exulcerat. Contrà nitrum, *le Natron*, allata sanat ulcera. Nec exulcerat nitrum, *le Salpêtre*.

27. *Pruritus suffusorum felle.* Morbo regio laborantium. Pruritus ille, *le Prurit icterique*.

28. *Cum aceto in usu datum.* Ita Ms. Reg. 3.

Sic & infra Plinius Libr. XXXII. sect. 14. *excellens in usu. In Mss. Reg. 1. & 2. & editio-
ne principe, cum aceto insudatum.*

29. *Sanguinem tauri.* Priscis venenum fuit san-
guis tauri. Recentem nempe & calidum bibe-
bant; & inde suffocatio, cum in intima corpo-
ris admissus concrefceret. Sale alkalino nitri di-
luitur sanguis & fluidus manet.

30. *Renium dolori.* Mss. Reg. & ed. pr.

31. *Porrriginem.* Est prurigo in capite, ut ha-
bet Plinius, Libr. XXV. sect. 87.

32. *Sal nitrum sulphuri concoctum.* Et ex eo fa-
cta vasa, de quibus dictum supra. Talia credi-
derim esse vasa Sinensia, quæ penes me sunt.

CAP. XI. 1. *Spongiarum genera diximus.* Su-
pra Libr. IX. sect. 69. Spongiæ quidem plantis
accensentur. Sunt tamen polyporum aliorumque
animalculorum sedes. Nec earum natura adhuc
fatis explorata.

2. *Alias ex his mares.* Nos, mutatis nomi-
nibus, spongas tenui fistulâ dicimus, *l'Eponge
femelle*: spongas majoribus fistulis, *l'Eponge
mâle.*

3. *Tenui fistulâ.* Est spongia ad usum præ-
stantissima, foraminibus exiguis pervia. Tour-
nefort.

4. *Perforbentes.* Colorem, quo tinguntur, per-
forbentes avidèque bibentes.

5. *Majoribus fistulis.* Hæc est spongia com-
pressa, magna, C. B.

6. *Animal esse docuimus.* Supra Libr. IX.
sect. 69.

7. *Mollissimum genus eorum penicilli.* Pe-
nicilli illi, *l'Eponge fine.*

8. *Dum aliud imponatur.* Splenium, aliudve, *une Bande*, imponitur, ut sidat spongia.

9. *Sanguis rapitur in secando.* Dum fit sectio, sanguis spongiâ absorbetur.

10. *Fluctione occultâ.* Ita Mss. Reg. 2. & editio princeps. Fluctio idem est ac fluxio. In Mss. Reg. 1. 3. 5. *fluctuatione.*

11. *Nunc ex eâdem* Ita quidem Mss. Reg. 3. 5. & editio princeps. Fortè tamen scripserat Plinius, *ex aquâ.*

12. *Aliqui raras.* Species illa spongiarum rararum dicta est suprâ Libr. IX. sect. 69. *manon.* Græcis enim *μάνον*, Romanis rarum dicitur.

13. *Scabritias genarum.* Palpebrarum.

14. *Destringere, siccare.* Destringere, id est, detergere; siccare, spissare.

15. *Antiphelli urbis.* In Lyciâ. Vide suprâ Libr. V. sect. 28.

IN LIBRUM XXXII.

CAP. I. 1. *Echeneis.* Echeneis, *le Sucet, le Remore*; cujus quidem magna singularisque vis est; sed non ea quam prisca exaggeravere. De hoc pisciculo dictum suprâ Libr. IX. sect. 41.

2. *Auspicalis pisciculus.* Quartum post mensem occisus est Caius Caligula.

3. *Suis telis.* Suorum nempe libertorum, præfectorumque prætorii.

4. *Conchas quoque ejusdem potentia.* Conchæ adhærent quoque navibus; &, cum plurimæ adhæserint, pondere suo cursum retardant.

5. *Odynolytem.* Ita dictum a doloribus solvendis, *τὰς ὀδύνας λύειν.*

6. *Torpedo*. Torpedo, *la Torpille*; de quâ dictum supra Libr. IX. sect. 67. Nobis nunc nota & anguilla tremens, *l'Anguille tremblante*, majore adhuc vi insignis.

7. *Odore tantum & quadam aurâ*. Non odor, non aura, sed elastica simul & electrica corporis vis torpedini & anguillæ trementi vim illam indidere.

8. *De lepore marino*. De quo supra Libr. IX. sect. 72.

9. *In brachialibus*. Brachialia, *des Brasselets*.

10. *Quibus impactus est*. Quibus in cibo datus, venenum id deprehenditur.

11. *Mitulos marinos*. In Mss. Reg. 1. 3. & editione principe tantum, *vitulos*. In Ms. Reg. 2. *vitulos marinos* De heminâ vide Libr. XXI. sect. 109.

12. *In Flumen Arabiæ*. Flumen Salsum, de quo supra Libr. VI. sect. 32.

13. *Cetos*. Cetus, *la Baleine*. De cetis bælenisve dictum supra Libr. IX. sect. 5.

14. *Asilos*. De hoc insecto vide supra Libr. XI. sect. 34.

CAP. II. 1. *Anthiam tradit*. De anthiâ vide Libr. IX. sect. 85.

2. *E serpentibus, ut diximus*. Supra Libr. IX. sect. 39.

3. *Pinguescere jaçtatu*. Pinguescere aquæ agitatione.

4. *Ferulâ protinus*. Ut jam dictum Libr. XX. sect. 98.

5. *Novacula pisce*. Novacula, *le Rason*.

6. *Orbis vocetur*. A Venetis dicitur, *pesce Columbo*.

7. *Milvago*. Est milvus, de quo supra Libr. IX. sect. 43. Idem autem & de loligine tradit Plinius Libr. XVIII. sect. 87.

8. *Xiphiam*. Xiphias, l'Empereur, le Poisson-épée, l'Espadon.

9. *Qui Cotta vocetur*. Suprà Libr. V. sect. 1.

10. *Labrandei Jovis*. Ita dicti a Labrandâ, Cariae vico, ubi Jovis templum, de quo plura habet Ælianus, Hist. Animal. XII, 30.

11. *Juxta Senum delubrum*. Hac de re Ælianus, loc. cit. In Chio insulâ ad portum nuncupatum Senum est mansuetorum piscium numerus, quos Chii ad solatium senectutis alunt.

12. *De quo diximus*. Libr. XXXI. sect. 22.

13. *In Lyciâ Myris*. Ita editio princeps. Myra autem est urbs Lyciæ. Ælianus, Hist. Animal. VIII, 5. ait pisces illos fatidicos esse Syrhæ, in vico Lyciæ, inter Myra & Phellum.

14. *Apollinis, quem Curium*. A cæsarie, $\kappa\epsilon\rho\alpha$, Apollo Curius appellabatur.

15. *Melanuri*. Melanurus, l'Oblade.

16. *Esse porcum*. Porcus, seu orthragoriscus, la Lune de mer. Diverfus est a porculo marino de quo supra Libr. IX. sect. 17. Piscium autem maximus dicitur, quod balænas aliaque id genus Plinius non pisces, sed bestias appellet.

17. *Adposito occurrit exemplo*. Pisces alibi esse amaros, vel falsos, naturæ vi evenit. Nec mirum; cum quibusdam etiam in locis aliquid affine contingat, ut adposito probatur exemplo. Constat enim falsamenta omnium generum in Italiâ Beneventi esse reficienda, vel iterum sale condienda.

18. *Ni pollucerent*. Antiquitus dictum, pro ne diis apponerent.

19. *Ni qui ad polluctum.* Ne qui ad polluctum, seu opipara deorum epula emerent. Pulvinaria autem, sunt lecti qui diis in templis sternerantur.

20. *De quibus suo loco.* Suprà Libr. IX. sect. 54.

21. *In curalio.* Curalium, *le Corail*; cujus adhuc maximum pretium in Sinensi imperio, maximè si sit carnei coloris, pallentisque rosæ, non rubicundioris: tunc auro rependitur.

22. *Curalium vocitatum.* Curalium dicitur, quòd tondetur in mari, *καρῆται ἐν ἁλί.*

23. *Auctoritas baccarum ejus.* Sic adhuc a Sinensibus viris gestantur corollaria, *des Chappellets*, e curalio, collo appensa, ita ut in pectus diffuant.

24. *Necari dixerimus.* Suprà Libr. IX. sect. 72.

25. *Persequitur galeos.* De galeo dictum Libr. IX. sect. 70.

CAP. III. 1. *Fibris, quos castores.* De fibro, seu castore, *le Castor*, dictum suprà Libr. IX. sect. 70.

2. *Castorea.* In medicinâ fervatur nomen, & dicitur *le Castoreum*.

3. *Adversùs chalcidas.* Chalcis lacerta est, de quâ dictum Libr. XXIX. sect. 32.

CAP. IV. 1. *Honore habendo.* Testudinibus honor habendus.

2. *Suffusionesque oculorum tollit.* In Ms. Reg. 1. manu ipsius scriptoris margini additum: *cura vera, probata in meis oculis.*

3. *Sistitur ab eo remedio.* Post illud remedium sistitur alvus aquæ frigidæ potu.

4. *Perungi tradunt.* In Ms. Reg. 3. & edi-

tione principe omiffum, tradunt; & omitti potest.

5. *Instillatus cerebro.* Cerebro, id est sincipiti, seu anteriori parti capitis; ut habet Archigenus apud Galenum Libr. II. κατὰ τόπος, Cap. 2. ἐπὶ τὸ βρέγμα.

6. *Cujuscumque generis.* Testudinum cujuscumque generis.

7. *Contributa habere remedia.* In morborum ordinem digesta habere remedia. Contributa nempe, quòd sunt ejusdem utilitatis.

CAP. V. 1. *Venenatum mel diximus.* Suprà Libr. XXI. sect. 44.

2. *Quid esset scincus diximus.* Suprà Libr. VIII. sect. 38.

3. *Ut diximus, mullus.* Suprà Libr. XXVIII. sect. 23.

4. *In solium addi.* Offa singula addi in solium aquæ calidæ, experimenti causâ.

5. *Scytalen.* Scytale, est mus araneus, de quo dictum suprà Libr. XXIX. sect. 27.

6. *Porci marini.* Est porculus marinus, qui dictus est suprà Libr. IX. sect. 17.

7. *Succum carpati.* De eo jam dictum Libr. XXVIII. sect. 45.

CAP. VI. 1. *Sideris quidem ratione.* Lunæ ratione, ut dictum est suprà Libr. IX. sect. 60.

2. *Circa initia æstatis.* Aliam quàm nos, ostrea, les Huitres, edendi rationem sequebantur prisca. Teste enim Athenæo Libr. III. pag. 92. verno tempore, æstateque ineunte, meliora sunt ostrea, plena maris aquâ, suavia, utiliaque ventriculo.

3. *Spondylo brevi.* Spondylus ille est pars media ostreorum, ubi eorum stomachus aliæque vitales partes.

4. *Ambiente purpureo crine fibras.* Purpureus ille crinis, *la Frange noirâtre*, est quoque apud nos generositatis & saporis optimi indicium.

5. *Calliblepharata.* Sic fuit emendandum ex Mss. Reg. & editione principe, in quibus *cal-
liblepharata*. Id est, pulchris genis insignia.

6. *Gaudent & peregrinatione.* Gaudent quoque hac peregrinatione ostrea quæ nos dicimus, *les Huitres vertes de Marennes*.

7. *Suaviora Medulis.* Ostrea Medula, *les Huitres de Médoc*. Lucrina autem sunt e lacu Lucrino, prope Baias; Lucensia, fortè a Lucen-
to, Hispaniæ oppido; Leptica, a Lepti in Afri-
câ; Coryphantena, a Coryphante oppido Æoli-
dis; Istrica, ab Istriâ; Circeiensiâ, a Circeiis.

8. *Tridacna.* Quod ter essent mordenda; *τρίς,*
ter, & *δάκνω*, mordeo.

9. *Mammaramque duritias.* Mss. Reg. & ed. pr.

10. *Theriaceen esse.* Contra serpentes prodesse.

11. *Genera, uti diximus.* Suprà Libr. XXVI.
sect. 56.

12. *Quæ in Cretâ... nascitur.* Fucus ille, *le Varec*, est fucus Creticus lactucæ folio sesqui-
pedali & bipedali. Tournefort.

CAP. VII. I. *Diebus XL.* Ita Mss. Reg. 2.
3. & editio princeps.

2. *Callionymi.* Callionymus, sive uranosco-
pus, *le Tapeçon*.

3. *Diopetas & calamitas.* Mss. Reg. & editio
princeps. Ranæ Diopetæ, a *διοπετής*, quòd
per imbres de cælo dilapsæ dicerentur: calami-
tæ verò, quòd in arundinetis viverent, om-
nium viridissimæ; ut dicitur infrà sect. 42.

4. *Invertunt itaque genas.* Genas, id est, pal-
pebras.

5. *Ichthyocolla*. Videtur esse piscis esox, de quo dictum supra Libr. IX. sect. 15.

6. *Et tetanothris*. Τετάνωθρα sunt pharmaca lævigandis vultûs rugis apta.

7. *Batia piscis*. Batia, la Raie.

8. *Cybia vetera usta in novo vase*. Malè Mss. Reg. eluta, vel luta. Emendandum fuit usta, vel exusta; ut patet ex Marcello Empirico, Cap. 13. *Cybiium optimum ac vetustissimum ollæ inditur atque argillâ circumlinitur, & furno ardentî obicitur, ut ad cinerem cybium excoquatur: tunc adjecto Pario lapide contuso, salsamenti supra dicti favilla conteritur: hoc dentifricium ita bonum est.*

9. *Enhydris vocatur*. De hac colubrâ dictum supra Libr. XXX. sect. 8.

10. *Mænarum cinis*. Bene Ms. Reg. 3.

CAP. VIII. 1. *Lentitudo mellis*. Bene Mss. Reg. 3. Chiff. & editio princeps.

2. *Halcyoneum*. Halcyoneum neque est ex nidis halcyonum, ceycumve, qui sunt mares halcyonum, neque ex sordibus & lanugine maris; sed est, ut nos docuit Cl. Peyssonel, polyporum quorundam cavernulæ, un Polypier.

3. *Cum lupino*. Ita quidem libri scripti & editi. Meritò tamen visum est erudito Harduino emendandum, cum glutino. Glutinum enim laudavit supra Plinius Libr. XXVIII. sect. 50.

4. *Rana in mari*. Cùm rana aculeo careat, mallet eruditus Harduinus, raia. At paulo supra raia dicta est batia.

5. *Ossiculo de caudâ*. Mss. Reg. & ed. pr.

6. *Sauri piscis*. Saurus, est lacerta maris Rubri aureis argenteisque lineis viridibusque ocu-

lis insignis; de quâ vide Ælianus, Libr. XII, 25.

7. *Cancris fluviatiles.* Hi sunt, *les Cancres de riviere.*

CAP. IX. 1. *Conchæ longæ.* Concha longa, *le Buccin.*

2. *Hippocampi.* Hippocampus, *l'Hippocampe,* *le Cheval marin.*

3. *Tetheaque.* Tethea, *la Tethie.*

4. *Olus marinum.* Brassica est marina, de quâ Plinius Libr. XX. pag. 38.

5. *Iulide.* Iulis, *la Girelle.*

6. *Purgant & myaces.* Myax, mitulusve, *la Moule.*

7. *Interanea destringere.* Destringere, id est detergere.

8. *Item prodesse.* Verbum, *prodesse,* non habet editio princeps, & omitti potest.

9. *Opocarpatum.* Est succus carpati, de quo supra sect. 20.

10. *Qui salem virusque.* Ita quidem libri scripti & editi. At certè pro *salem* emendandum *scillam*, ut patet ex Athenæo Libr. III. pag. 87. εἰσὶ δ' αὐτῶν ἐνιοὶ καὶ σκιλλώδεις. Quod jam monuere Cl. Gesnerus & Harduinus.

11. *Taposirin maximè Ægypti.* Taposiris, *Abousir*, prope lacum Mareotin, haud procul finibus Ægypti, occidentem versus.

12. *Blendiorum cinis.* Ita Mss. Reg. editio princeps, & recentiores. In mediis editionibus, *blenniorum.* Inde Cl. Linnæo aliisque pisciculus ille pelagius dicitur blennius.

13. *Urticam marinam.* Zoophytum est urtica marina, *l'Ortie de mer.*

14. *Pulmonem marinum.* Zoophytum quoque pulmo marinus, *le Poumon de mer.*

15. *Pectinum*. *Pecten*, le Peigne, le Pétoncle.
16. *Lepus illinitur*. Est lepus marinus, le Lievre marin.
17. *Aquaticæ colubræ*. Est enhydri, de quâ dictum supra sect. 19. & 26. De hydro autem vide Libr. XXIX. sect. 22.
18. *Procidentis interanei*. Procidentis sedis.
19. *Sciænæ*. Sciænæ, l'Ombre, le Maigre.
20. *Hæc est, de quâ diximus*. Suprà Libr. IX. sect. 14.
21. *Quia & e mari*. Quia & mare suppeditat quæ fabrilibus usibus inserviunt.
22. *Ophidion*. Ophidion, la Donzelle.
23. *Fibrinis quoque pellibus*. Calcei illi, des Souliers de Castor.
24. *Bryon, de quo diximus*. Suprà Libr. XXVII. sect. 33.
25. *Alga, de quâ ipsa dictum est*. Suprà Libr. XXVI. sect. 66. & XXXII. sect. 22.
26. *Comitiales, ut diximus*. Suprà Libr. VIII. sect. 49.
- CAP. X. 1. *Adalligantur agris*. Ms. Reg. 3. & editio princeps.
2. *Pagri fluviatilis*. Pagrus, le Pagre.
3. *Spondylus percæ*. Spondylus est vertebra spinæ dorsi.
4. *Tethea utilia sunt*. Ita Ms. Reg. 3. & editiones recentiores. In Ms. Reg. 2. & editione principe, & ea utilia sunt. Quòd forrè meliùs. Tethea enim, de quâ dictum est supra sect. 30. est feminini generis.
5. *Gravitati saporis*. Ita adhuc, cùm pungit sinapi, gravitati saporis odore panis occurrimus.

6. *Et quæ ferventi aquâ.* Ms. Reg. 3.
7. *Mullos in cibo inutiles.* Hebetant enim aciem oculorum, teste Plinio, sect. 24. Nervis quoque noxii, ex Dioscoride, II, 21.
8. *Naturâ desinente.* Tunc natura bonitasque fucci desinit.
9. *Sanguinem arefactum.* Bene Mss. Reg. Malè editio princeps, *sanguine inarefactum*: unde in recentioribus emendatum, *sanguinem inarefactum*.
10. *Decidunt satiata.* Bene Mss. Reg. editio princeps & Cl. Rezzonicus.
11. *Ad genu admisisset.* Ms. Reg. 3. & ed. pr.
12. *Remedio verso.* Remedium, quod afferebant, vertitur in venenum.
13. *Sugentium ora.* In Ms. Dalecamp. *Sugentium inferiora.* Sine auctoritate recentiores editiones, *sugentia ora.*
14. *Natura earum.* Vide suprâ Libr. XXIX. sect. 17.
15. *Cunilâ capitatâ.* Satureia est, *la Sarriete.*
16. *Lineâque lanugine.* Hæc lanugo, *le Duvee de linge.*
17. *Alex purgat.* De alece dictum suprâ Libr. XXXI. sect. 44.
18. *In linteolis concerptis.* Linteoli concerpti, *la Charpie.*
19. *Glanis jecur.* Idem glanis appellatur suprâ Libr. IX. sect. 67.
20. *Ad thymia.* Thymia, verrucæ sunt fabæ magnitudine, quæ a thymi colore nomen habent.
21. *Crudis utuntur.* Crudis mænis.
22. *Glauciscus.* Idem est qui dictus est glaucus, suprâ Libr. IX, 16.
23. *Mammas ipsas.* Mammarum inflammationes.

24. *Pueros mangonizavit.* Ornavit & composuit pueros, ad alliciendos emptores. *Mangones* enim sunt, teste Quintiliano, II, 15. *qui colorem fuco, & verum robur inani saginâ mentiantur.*

25. *Eadem vis est.* Mss. Reg. 3. & ed. pr.

26. *Ranæ parvæ.* De quâ suprâ sect. 24.

27. *Vasis eâdem mensurâ. Alii.* Ita Mss. Reg. 2. & editio princeps. In Mss. Reg. 3. & recentioribus editionibus, *vasis. Eâdem mensurâ alii.*

28. *In oculis diximus.* Suprâ sect. 24.

29. *Hic suffitus.* Mss. Reg. Chiff. & ed. pr.

30. *Cimices invectos.* Malè Mss. Reg. 2. *invecta.* Mss. Reg. 3. *invectas.* Emendandum fuit, *invectos.*

31. *Siriasim infantium.* Ita Mss. Reg. & ed. pr. *Siriasis* est in infantibus adustio membranarum cerebri, quæ accidit vulgò ardente Sirio.

32. *Spongiâ frigidâ crebrò humefacta.* In Mss. Reg. 2. 3. & editione principe, *spongiâ frigidâ cerebro humefacto.*

33. *Piscis rubellio.* *Rubellio*, *le Pagel*, Græcis dictus erythinus, de quo dictum Libr. IX. sect. 23.

34. *Uva marina.* De quâ vide Libr. IX. sect. 1.

35. *Calamochnus*, Latinè *adarca.* Vide Libr. XVI. sect. 66.

36. *Phragmitis radix.* De phragmite aliisque calamorum generibus vide suprâ Libr. XVI. sect. 66. & XXIV. sect. 50.

37. *Ita præluceat.* Et pro faculâ habeatur.

CAP. XI. 1. *Centum septuaginta quatuor.* Mss. Reg. alii habent, *CLXIV.* alii *CXLIV.* Plura nunc novimus piscium genera. Trecenta numerat Cl. Linnaeus.

2. *Homines qui marini vocantur.* Anno 1560. prope insulam Manariam, ducentis ferme leucis ab urbe Goâ, capti marini homines septem & feminæ novem, quos Cl. Bosquès, medicus, anatomicè secuit.

3. *Box.* Box, *le Bogue.*

4. *Cybium ita vocatur.* Pelamis cum ætate mutat nomina: cum pusilla est, appellatur cordyla; cum major est, nominatur Cybium. Dicitur quoque pelamis, *le jeune Thon*; & thynnus, cum maximus est, *le Thon.*

5. *Chamæ.* Nomen retinent, *les Cames*; ut & pelorides, *les Pelourdes.*

6. *Et margaritifera.* Concha Margaritifera, *la Nacre de Perles, la Mere de perles.*

7. *Actinophoræ.* Ms. Reg. 2. & Chiff. Cochleæ actinophoræ sunt buccinum, *le Buccin.*

8. *Cynopus, caminarus.* Ms. Reg. 3. & editio princeps. Cynopus, aut ut habet editio princeps, *cynops*, non notus piscis, ni sit, *le Crabe.* Caminarus idem videtur ac cammarus, vel gammarus, *le Homar.*

9. *Draco.* Draco, *le Dragon de mer, la Vive.*

10. *Dracunculus.* Monspeliensibus dicitur, *le Lacert.*

11. *Echinus.* Echinus, *l'Oursin.*

12. *Elephanti.* Elephanti e genere sunt locustarum, *les Langoustes.* Differunt colore nigro. Alii sunt elephanti, suprâ inter majores pisces annumerati.

13. *Faber sive zeus.* Faber, *la Dorée.*

14. *Gonger.* Gonger, seu conger, *le Congre.*

15. *Hippuros.* Hippurus, *le Lampuge.*

16. *Hepar.* Hepar, *le Foie marin.*

17. *Loligo volitans.* Loligo, *le Calmar.*

18. *Lucernæ.* Lucerna, *la Galline.*
 19. *Lepris.* Ita Mss. Reg. & editio princeps.
 20. *Lepus.* Lepus, *le Lievre de mer.*
 21. *Leones.* Leo, *le Lion de mer.*
 22. *Mullus.* Mullus, *le Barbarin.*
 23. *Merula.* Merula, *le Merle.*
 24. *Mugil.* Mugil, *le Mulet, le Cabot.*
 25. *Melanurus.* Nobis Melanurus & oculata, *l'Oblade.* Hos pisces distinxit Plinius. Sic infra distinxit porcum & orthragoriscum, licet unus & idem sit piscis.
 26. *Mæna.* Mæna, *la Mendole.*
 27. *Meryx.* Videtur esse piscis, qui ab Hispanis dicitur *Meros*, e mugilum genere, sed majore, præstantiore, & pelagio.
 28. *Muræna.* Muræna, *la Murene.* Vide supra Libr. IX. sect. 23.
 29. *Mys.* E concharum genere, quæ rufas margaritas ferunt; ut dictum supra Libr. IX. sect. 56.
 30. *Mitulus.* Mitulus, *la Moule.*
 31. *Myiscus.* Videtur esse minor mys.
 32. *Murex.* Ad cochleas pertinet, quas inter eminent purpura, *la Pourpre.*
 33. *Ophidion.* Ophidion, *la Donzelle.*
 34. *Ostrea.* Ostreum, *l'Huitre.*
 35. *Otia.* Est auris marina, *l'Ormier, l'Oreille de mer.*
 36. *Orcynus.* Orcynus, *le Thon;* qui pro variâ suâ ætate varia habet nomina.
 37. *Orbis.* A figurâ suâ rotundâ nomen ducit. A Venetis appellatur *Pesce Columbo.*
 38. *Orthragoriscus.* Jam dictus supra sect. 9. *la Lune de mer.*

39. *Phager*. Phager, le Pagre.
40. *Phycis*. Phycis, la Tanche de mer.
41. *Porcus*. Ita Mss. Reg. & ed. pr. Idem est qui jam dictus est orthragoriscus, la Lune de mer.
42. *Pitiarus*. Ita Ms. Reg. 3. Nec aliter editio princeps. Non notus piscis.
43. *Pastinaca*. Pastinaca, la Pastenague. Pungit & veneno inficit. Vide supra Libr. IX. sect. 48.
44. *Pectines*. Pecten, le Peigne.
45. *Pectunculi*. Pectunculus, le Pétoncle.
46. *Purpuræ*. Purpura, la Pourpre.
47. *Pegrides*. Ita Ms. Reg. 2. & ed. pr. In Ms. Reg. 3. *pigrides*. Quæ sit illa concha ignotum. Sine auctoritate in recentioribus editionibus, *percides*.
48. *Pinna*. Pinna, la Pinne marine. De eâ dictum supra Libr. IX. sect. 66. Pinnæ hærent tenuissimis filis, quæ texuntur. Et videtur hic byssus memorari in Sacrà Scripturâ, Exod. XXVI, 1. Terrestrem quoque byssum memorat Plinius XIX, 1.
49. *Pinnoteræ*. Pinnotera, le Pinnotere, e cancrorum genere est; & quasi pinnæ fatelles, eam periculorum, quæ a polypis imminent, admonet. Vide supra Libr. IX. sect. 66.
50. *Rhina*, quem *squatam*. Piscis ille dictus est supra Libr. IX. sect. 40. *squatina*, l'Ange, le Moine.
51. *Rhombus*. Rhombus, le Turbot. Vide supra Libr. IX. sect. 36.
52. *Scarus*. Scarus, le Scare; de quo jam supra Libr. IX. sect. 29.
53. *Solea*. Solea, la Sole. De eâ jam dictum Libr. IX. sect. 36.

54. *Sargus*. Sargus, le Sargo. Vide Libr. IX. sect. 30.

55. *Sarda*. Unum est e multis nominibus thynni, le Thon. Sarda dicitur, cum sardiniam præternatat.

56. *Scomber*. Scomber, le Maquereau, de quo jam dictum Libr. IX. sect. 19. & XXXI. sect. 43.

57. *Salpa*. Salpa, la Saupe. Vide adhuc Libr. IX. sect. 32.

58. *Sparus*. Sparus, le Sparallon.

59. *Scorpæna*. Scorpæna, la Rascaffe.

60. *Scorpio*. Scorpio, la Scorpene.

61. *Sciadeus*, *Sciæna*. Sciadeus, mas videtur. Sciæna femina. Sciæna autem, le Maigre. Romæ dicitur *Umbrina*.

62. *Scolopendra*. Scolopendra, la Scolopendre. Vide Libr. IX. sect. 67.

63. *Smyrus*. Smyrus est muræna mas, ut dictum supra Libr. IX. sect. 39.

64. *Sepia*. Sepia, la Seche. Vide Libr. IX. sect. 45.

65. *Strombus*. Strombus est concha longa, quâ utebantur vice tubæ, ut habet Nicandri Scholiastes. De eâ jam dictum supra sect. 30. Quare ad buccinum, le Buccin, pertinet.

66. *Solen*. Solen, sive aulos, sive donax, sive onyx, le Coutelier. Pertinet ad conchas. De solene jam dictum supra sect. 32.

67. *Dactylus*. Dactylus, le Dail, la Pholade. Ad conchas quoque pertinet.

68. *Spondylus*. Spondylus pertinet ad ostrea; ut videre est apud Athenæum, Libr. III. pag. 87.

69. *Smarides*. Smaris, le Gerres. Smarides ferme similes sunt mænis, les Mendoles.

70. *Stella*. Stella, l'Etoile de mer. Vide supra Libr. IX. sect. 86.

Spongia. Spongia, *l'Eponge.* Vide supra Libr. IX. sect. 69.

72. *Turdus.* Turdus, *le Tordo,* Romæ frequens. Vide supra Libr. IX. sect. 20.

73. *Thynnus.* Thynnus, *le Thon.*

74. *Thranis,* quem alii *xiphian.* Thranis, xiphias, gladiusve, *l'Espadon.* Vide supra sect. 6.

75. *Thassa.* Thassa, *l'Alose.*

76. *Torpedo.* Torpedo, *la Torpille.* Vide Libr. IX. sect. 67.

77. *Tethea.* Tethea, *la Tethie;* de quâ jam supra sect. 30.

78. *Triton.* Unum e nominibus thynni, *le Thon.*

79. *Uraa cybia.* E parte tritonis caudæ proximâ, in quadrata frustra cubosve sectâ, fiebant pulpamenta salsamentaue, quæ ἔραϊα κύβια dicebantur.

80. *Veneria.* Est concha Venerea, *le Puce-lage.* De conchis illis Veneriis, quæ navigant, jam dictum Libr. IX. sect. 52.

81. *Uvâ.* Uva, *la Grappe marine.* Ad polypos pertinet. Vide supra Libr. IX. sect. 1.

82. *Xiphias.* Ms. Reg. 2. Xiphias, *l'Espadon.* Vide supra sect. 6.

83. *Bos.* Bos ad raias, *les Raies,* pertinet; tantæ autem magnitudinis, ut aliquando duodecim cubitos impleat.

84. *Cercyrum.* Videtur esse e genere canum marinorum, & fortè carcharias, *le Requin.*

85. *Orphus.* Orphus, *l'Orphe;* de quo Ovidius, Halieutic. vers. 103 :

Cantharus ingratus succo, tum concolor illi

Orphus, cæruleâque rubens erythinus in undâ;
Cantharus, le Canthene.

86. *Rubentemque erythinum.* Corruptè quidem Mss. Reg. *rubentemque acynum.* Pessimè recentiores editiones, *orphum rubentem, rhacinumque pullum.* Emendandum fuit, ut patet ex verbis Ovidii, *orphum, rubentemque erythinum.* Erythinus, *le Pagel.*

87. *Sparulum.* Corruptè adhuc libri scripti & editi, *pulum, vel pullum.* Emendandum fuit, *sparulum,* ut constat ex Ovidio, Halieutic. vers. 106.

Et superauratâ sparulus cervice refulgens.
sparulus ad sparos pertinet.

88. *Pictas mormyras.* Mormyres, vel mormyrus, *le Morme.*

89. *Chryso-phryn.* Chryso-phrys, seu aurata, *la Dorade.* Malè Mss. Reg. *criso,* vel *crisoprem.* Emendandum, *chryso-phryn,* docuit Ovidius. Halieutic. vers. 110:

Et pictæ mormyres, & auri
Chryso-phrys imitata decus.

90. *Percam, tragum.* Sic quoque Ovid. Halieutic. vers. 112. Pessimè Mss. Reg. & editio princeps, *parum tergum.* Nec meliùs recentiores, præterea *parvum tragum.* Perca, *la Perche de mer.* Tragus, *la Mendole mâle.* Mæna mas dicitur tragus, cùm ejus color obscuratur, & tunc mænarum caro pessimus est cibus. Id contingit hieme.

91. *Placentem caudâ labrum.* Labrus, *le Paon de mer.* Ab Ovidio, Halieut. vers 113. appellatur melanurus:

Quin laude insignis caudæ melanurus.

92. *Epodas lati generis.* Ovid. *ibid.*, vers. 126.

Tunc epodes lati.

Epodes ad planos pisces pertinent, ut solea.

93. *Channen.* Sic & Ovid. vers. 108.

Et ex se

Concipiens channe gemino fraudata parente.

Channe valde similis est percæ. Vide *Libr. IX.* sect. 23.

94. *Glaucus.* Ovidius quoque vers. 117.

Ac numquam æstivo conspectus sidere glaucus.

Glaucus æstate latet per sexaginta dies. Valde similis est sciænæ, umbræve, *l'Umbrina*. Cùm timet glaucus, parvulos in ore accipit, & aufugit. Inde apud Oppianum patris amantis symbolum est. Vide *Libr. IX.* sect. 25.

95. *Pompilum.* Pompilus, *le Pompile*; de quo quoque Ovidius, vers. 100.

Terque comes ratium, tractique per æquora sulci,

Qui semper spumas sequeris, pompile, nitentes.

96. *Chromin*, qui nidificet in undis. Apud Ovidium, *ibid.* vers. 121.

Atque immunda chromis, meritò vilissima salpa,

Atque avium dulces nidos imitata sub undis.

Certè nunc corruptus hic Ovidii locus. In exemplaribus, quibus usus est Plinius, vel fuit scriptum:

Atque immunda chromis nidos imitata sub undis.

vel quod potius crediderim, memoriâ lapsus

est Plinius, & chromi tribuit, quæ ipse phyci attribuit supra Libr. IX. sect. 42. Unde fortè scripserat Ovidius, ut conjicit eruditus Harduinus:

Atque avium phycis nidos imitata sub undis.

Chromis ad sparos pertinet, & similis est glauco parvo. Verno tempore piscium optimus habetur.

97. *Elopem quoque.* Ovid. ibid. vers. 96.

Et pretiosus helops nostris incognitus undis.

De elope vide supra Libr. IX. sect. 79. Multis creditur esse anthias: In mari Pamphylio facer habetur, & cum magnâ piscatorum lætitiâ capitur, teste Æliano, Hist. Animal. VIII, 18.

98. *Sphyræna.* Sudis, seu sphyræna, ab Italis adhuc dicitur, *spirena*; & ab Etruscis, *Sfirena*.

99. *Et perna.* Perna, *le Jamboneau*.

100. *Circa Pontias insulas.* Pontiaë insulæ, nunc *l'île Ponza*, aliæque ei vicinæ.

101. *Hyænam piscis.* Hyæna videtur esse *le Marsouin*.

102. *Ænaria insula.* Nunc *l'île d'Ischia*.

F I N I S.

